UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Syntagma Ivris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||

**Grégoire, Pierre**

**Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.**

**VD16 VD16 G 2999**

Liber XXV. De Obligationibus & Conuentionibus consensu initis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-97739

Visual Library

# DE OBLIGATIONIBVS, ET CONVENTIONIBVS CONSENSV INITIS. LIBER XXV.

## De emtione & de diſtinctione nominis emtionis. Cap. I.

Apud Iuſtin. Lib. 3. tit. 24. P. lib. 18. tit. 1. C. lib. 4. tit. 36

1 *Emtionis nomen in genere & ſpecie quid contineat.*
2 *Emtionis formula omnibus conuentionibus adhibebatur.*
3 *Mancipi res quæ, & quomodo transferentur.*
*Ære & libra quomodo fiebat venditio. eod.*
4 *Emere & vendere quando promiſcue, & quando diſtincte accipiantur.*

1 FRequens † vſus emtionis cum ſit, operæprecium eſſe duco diutius in ea pertractanda immorari, Et quomodoque tractanda ſit inter probos viros, admonere: & qua ratione cauendum, ne contractus, qui non ob aliam cauſſam, quam vt neceſſitati hominum mederetur, in gẽtium vſum venit, in luxum libidinemque fœneratorum conuertatur. Sic etiã & Tiberius apud Cornel. Tacit. *lib. 6. annalium* proſpexiſſe fertur. Ne quæ remedio quæſita eſt emtio & vẽditio, in contrarium mutaretur, cum fœneratores omnem pecuniam mercandis agris neceſſariam, condidiſſent. Proinde prius monendi ſumus, emtionem in genere & ſpecie accipi: ſiquidem generali emtionis appellatione, omnis contractus, ex quo dominium transfertur continetur, & ita in lege 12. Tabularum vſurpatum nomen notat Pomponius, *l. ſtatu liberi 29. §. 1. de ſtat. liber. lib. 40. P. tit. 7.* Quare & alibi in iuris corpore, in ea lata ſignificatione comperitur, *§. 1. de contentio. inter domi. & emtorem feudi, lib. 2. Feudorum, tit. 42* vt & legatum contineat, *l. ſicut 8. §. venditionis autem, quib. mod. pign. vel hypothec. ſoluit. lib. 2. P. tit. 6.* Sic apud Varronem. *In emtionibus*, inquit, *dominium legitimum, ſex fere res perficiunt: ſi hereditatem iuſtam adiit: ſi, vt debuit mancipio accepit, a quo iure ciuili potuit: aut ſi iure ceſſit cui potuit iure cedere, & id vbi oportuit: aut ſi vſu cœpit: aut ſi e præda ſub corona emit: tumue, cum in bonis ſectioneue cuius publice emit. In horum emtione ſolet accedere peculium, aut ſi excipiet ſtipulatio, intercedere ſanum eum eſſe furtis noxiiſque ſolutũ: aut ſi man-*
2 *cipio non datur dupla promitti: aut ſi ita pacti, ſimpla.* ¶ Hęc † Varro *lib. 2. de re Ruſtica. c. 10.* Porro hæc appellatio per extenſionẽ ad alia, quam quæ vere emuntur, extenditur, vel quod firmiſſimus transferendi dominii modus ſit emtio vera: vel quod nullus fere translatitius dominii olim titulus eſſet, cui nõ adhiberetur emtio, vtrumque ſummo digito indico. Primum oſtendit Horatius *2. epiſt. ad Iulium Florum.*

*Si proprium eſt quod quis libra mercatur & ære,*
*Quædam, ſi credis conſultis, mancipat vſus.*

Et Martialis, *lib. 2. Epigram. epig. 20.*

*Carmina Paulus emit, recitat ſua carmina Paulus.*
*Nam quod emas poſſis dicere iure tuum.*

Neque quiſquam eam rem videtur vendere, de cuius dominio agitur, ne ad emtorem tranſeat: ſed hoc locatio eſt, vel genus alterius contractus, *Iabolenus in l. cum manu ſata 80. § fin. de contrahen. emt. P.* Et Phœnicides cum apponebat piſces in conuiuio, ſed iis dumtaxat qui ſymbolum dediſſent, dicebat, mare quidem eſſe commune ſed piſces in eo natos, eorum qui emiſſent, *in Apoth. Eraſmi. lib. 6. in variorum Apoth.* Quocirca in emtorem, inita ſemel emtione omne periculum, vt in dominum tranſit, *l. neceſſario, & l. id quod poſt ſemel perfectam, de peric. & commo. rei vend. P.* Alterum autem quod diximus, antiquis placuiſſe titulos transferendi dominii habuiſſe, vt plerumque additam emtionem, quod fiebat adhibito libripende, ære & libra, *§. ſed vt*
3 *nihil antiquitatis, de teſtam. apud Iuſtinia.* ¶ Vnde † ius mancipi & dominii. Sic etenim Plinius conſuetudinem fuiſſe ſeruatam in emtionibus quæ mancipi ſunt, libram interponere, *Plinius, libr. 33. hiſto. Na. ca. 3.* Mancipatio χείρωσις, Græcis eſt in manu poſitio: qua ratione res alienabiles noſtræ, mancipi dictæ: aliæ non mancipi, liberæ & nullius, *Cicero in Topyc. Mancipatio*, inquit Boetius, *libr. 3. Topic.* imaginaria quædam venditio eſt: quod ipſum ius, proprium eſt ciuium Romanorum: & res ita agitur, adhibitis non minus quam quinque teſtibus ciuibus Romanis, puberibus & eo qui libripens dicitur, is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: hunc ego hominẽ ex iure Quiritum meum eſſe aio, iſque mihi emtus eſt hoc ære, æneaque libra: deinde ære percutit, idque æs dat ei, a quo mancipium accipit, quaſi pretii loco. Inde mancipare pro vendere, imo emphaticω̃ς, plus quam vendere, & maiori ſolemnitate. Quemadmodum apud Ciceronem, *Philip. 2.* Tum ipſe venditum atq; mancipatum tribunatum conſiliis noſtris oppoſuit. Iulius Paulus rem emtam mancipatione & traditione perfecta, ſi euincatur, auctoritatis venditorem duplo tenus obligari tradit, *Iulius Paulus, libr. 2. recept. ſententia. tit. 17. de emto. & vendito.*

¶ In ſpecie, † emtionis nomen accipitur prout eſt contractus 4
nominatus ab aliis, proprius & ſeparatus, de quo nunc agimus. Relatiuum porro emtionis, venditio eſt, quibus promiſcue aliquando vſi ſunt veteres, *Caius, in l. veteres 20. de actio. emt. libr. 19. P. tit. 1. l. ex conuentione, C. de pact. l. cum apparebit 50. loca. lib. 9. P. tit. 2. Emtor* tamen proprie is qui comparat vel acquirit: venditor is qui diſtrahit: ſic in veteri verbo ruſticorum, bonum patremfamilias, dictum eſt, eſſe debere vendacem, non emacem, *Cato de re ruſtic. cap. 2. Plinius libr. 18. cap. 5.* inter quæ multum intereſt, cum plerumque alicui vendere prohibitum ſit, non autem emere, *vt in perſonis docebitur, & l. in quorum, de pigno. P. leg. multum intereſt de verbor. oblig. P. l. ſuæ rei, l. non licet, de contrah. emt. P.* Et vt ait Paulus, aliud vendere, aliud emere, alius emtor, alius venditor, ſicuti aliud pretium, aliud merx, *l. 1. §. penul. de contrahen. emt. P. l. 1. de rerum permut. lib. 19. P. tit. 4.*

## De definitione emtionis, & de re vendibili, & diſtinctione mercaturæ & negotiationis. Cap. 2.

1 *Emtionis definitio.*
2 *Bona fides quo tempore in emtione adeſſe debet.*
3 *Emtionis diuiſio, in imaginariam veram, & litis æſtimationem.*
4 *Emtionis ſubſtantialia tria, res, pretium, conſenſus.*
*Emtio ſcriptura quando perficiatur, eod.*
5 *Emi vendiue quæ res poſſunt.*
5 & 6. *Merx, Mercatus quid.*
5 *Commercium quid.*
6 *Emtio ſine re exſiſtente vel futura eſſe non poteſt.*
7 *Mercator & mercatura quid.*
*Negotiatio quid, & Negotiator quis. eo.*
8 9 & 10. *Mercaturæ duæ ſpecies, & ſubdiuiſio.*
8 *Commerciorum ſpecies.*
9 *Cauponaria ars quæ.*
*Præceptoribus mercedes ſoluendæ, eod.*
11 *Nauigationem & eius negotiationem qui inuenerunt.*
*Nauis, nauarchi, nauicularii, quid. eod.*
12 *Ratis quid.*
13 *Mercaturæ inuentum refertur ad Pœnos.*

OMiſſis † aliorum finitionibus, quæ de emtione fiunt, vel ni- 1
mium anguſtæ, vel latiores quam ſubſtantia poſtulet, noſtram exhibemus, vt Emtio ſit contractus, *l. Labeo, §. contractus, de verbor. ſignifi.* nominatus: *l. iuriſgentium de pact. P.* bonæ fidei, *l. ſi dolo aduerſarii 5. de reſcind. vend. C. l. ex emt. 11. de actio. emt. P.* iuriſgentium, *d. l. iuriſgentium, de pact. l. 1. §. fi. de contra. emtio. P. l. ex hoc iure, de iuſt. & iur. §. ius autem gentium, de iur. natur.* per quem fit commutatio rei cum certo pretio, *l. 1. de rer. permutat. in P. §. 1. de emtio. apud Iuſtin. l. 1. §. fin. de contra. emt. P.* ex conſenſu, *l. 1. de contra. emt. P, l. 2. de actio. §. 1. de actio. §. 1. de obligat. quæ ex conſen. l. 2. C. de contrahen. emt.*

¶ Bona † fides exigitur in emtione & tempore conuentionis, 2
*l. 2. §. 1. pro emt. l. 3. pro ſoluto. in P. l. ſi cum aliena, in princ. de vſu. P.* Imo dolus abeſſe debet a venditore, nõ tantum tempore venditionis, ſed omnino, & omni tempore ſequenti, vt notat Cynus, *in authentica ſacramenta puberum, quæſtio. 17. ſi aduerſ. vend. C.*

& Baldus,

& Baldus. *in l. ſi cum fundum, per eum textum, §. 1. de contrahen. emt, P.* Doluſque venditoris nocet emtori *l. eum qui §. prætor, de public. in rem actio. P.* Quia emtor non poteſt eſſe melioris conditionis in re emta quam venditor, *in l. in his §. non debeo, de regul. iur.* & eadẽ cauſſa debet eſſe emtoris in agendo, quæ fuerit venditoris, *l. inuitus, §. plerunque, de reg. iur. P. l. ſi quando §. heres, de legat. 1.* cum in locum eius ſuccedat, *l. 2. §. fin. de heredi vel actio. vendi.* & ab eius perſona, omnes exceptiones in perſonam emtoris tranſeant, *l. ſi a te, §. fi. & l. ſi mater, in fi. de excep. rei iudi.* ¶ Diſtin-
3 guunt inter veram & imaginariam venditionem, quod illi res & pretium accedat: imaginaria autem fit, pretio non accedente, quæ pro non facta eſt, & ideo nec alienatio intelligitur rei, *Paul. l. nuda 55. de contr. emt. l. contractus 53. de act. P. cum ſimil. ibi nota.* Poteſt etiam diuidi emtio in eam, quæ conſenſu ſolo fit, de qua loquimur: & in eam quæ per mancipationem fiebat, per æs & libram, quam etiam imaginariam, ratione aliorum negotiorum cui adhibebatur extra contractus, dixere, *§. ſed vt nihil antiquitatis. de teſtam.* de qua ſuperiore capite dictum eſt. Litis æſtimationem, inter ſpecies venditionis poni non ambigitur, *l. pro emto. lib. 41. P. tit. 5. l. plerumque 11. §. ſi ante matrimonium, de iure dot. P.* vel ſaltem ſimilem emtioni eſſe in aliquibus, *l. 3. pro emto in P. l. eius, & l. ſeq. de rei vin. P.* non enim vere ſimplex venditio eſt, *l. quoties 17. ſolu. mat. P.*

4 ¶ In emtionibus † tria ſubſtantiam conſtituunt, quæ neceſſario requiruntur, res, pretium, & conſenſus, *§. 1. 2. 3. de emtio. ap. Iuſtin. l. in venditionibus, l. 2. C. eod. l. 2. de actio.* nam quod relatum eſt de neceſſitate ſcripturæ, nõ prius emtionem eſſe, quam ea perfecta ſit, intelligitur ſi ita lex emtioni dicta ſit, vt de ea fieret ſcriptura, *vt in l. contractus, de fide inſtrum. C. §. 1. de emt. ap. Iuſtin.* non aliter: quia ſine inſtrumentis alioquin valent, quæ conſenſu peraguntur, *l. cum inſtrumentis, C. de fide inſtrument, l. cum res, C. de probatio. l. non figura, de actio. P.* Et de illis ſoleant tantum inſtrumenta, probationis facilioris cauſſa conſcribi, *l. contrahitur, de pigno. P. leg. pactum, C. de pact.*

5 ¶ Res, † in materia, merx dicitur etiam, *l. 1. de contra. emt. P.* id eſt, res vendibilis, vnde & meretrices mercales dicuntur, quæ pretio proſtituunt & vendunt pudicitiam, *l. mercalem, de condiction. ob tur. cau. C.* Inde & mercatus & nundinæ, *l. 1. de nund. C.* Commercia etiam, quorum quoque appellatio ad alios contractus extendi a commutatione mercium poteſt, *glo. in §. idem iuris, de inuti. ſtipul. in verbo commercium, rubr. de commerc. & mercator, in l. 3. quæ res vendi nequeant, C. l. 1. quæ res exporta. neq. C. l. 2. de Eunuchis, C.* commercium quippe eſt libera communicandi, contrahendi & commercandi facultas, Græcis συνάλλαγμα, ἀλλαγὴ, ἐπιμιξία: vt nundinatio per emtionem, ἐμποεία.

6 ¶ Sine † re quæ væneat, nec emtio, nec venditio contrahitur, *Pomp. leg. nec emtio, 8. de contrahen. emt.* Sufficit autem rem eſſe, etſi ea præſens non ſit, attamen quæ eſſe poſſit, vt & alia ſeu euentus dubius, *dict. leg. nec emtio, & l. ſi iactum retis. de actio. emt. P. de iactu retis emt. Valer. Maxim. libr. 4. ca. Suetonius, lib. de illuſtr. Rhetorib. Diogen. Laert. in 1.* & ſpes emi poſſit futuræ rei, *in l. ſpem. C. de dona.* & fructus futuri, *l. ſi debitor 39. de contrah. emt. P. dict. l. nec emtio.* Generaliter regulari iure, res omnis quæ non habet prohibitionem alienationis, vendi poteſt, & emi, quam quis poſſit habere & poſſidere, quæve a commercio non eximatur, vel a natura, vel iure gentium, vel iure ciuili, *l. ſi emtione, §. omnium rer. de contra. emt.* ſiue mobiles ſiue immobiles, ſiue corporales, ſiue iura ſint, *toto tit. de hered. vel act. ven. C.* Nec tamen me præteriit mercis nomen ad res tantum mobiles pertinere, ex ſententia Vlpiani, *in l. mercis appellatio 66. de verb. ſignifi.* neque adhuc omnes venire eo nomine, cum nec mercis nomine contineri ſeruos Aphricano placuerit: ex Melæ ſententia. Quamobrẽ non mercatores, ſed venalitios dici eos, qui vendunt, *l. mercis appellatione 209. de verb. ſignif. l. 1. §. licet, de tributor. actio.* Verumtamen ex nominis extenſione venalitiariam vitam exercentes, & mercatores dici poſſe receptum eſt: & ſeruos venales ex interpretatione in merce eſſe, *l. ſeruos 71. §. fin. de legat. 3.*
7 *d. l. 1. §. licet. de tributor. actio.* ¶ Mercatorẽ † tamen exiſtimamus & mercaturam circa res mobiles. Mercatorem videlicet, qui plures facit emtiones vt vendat. Non enim qui ſemel aut aliquando emit, vt lucretur, & vt aliquando vendat, mercator dicitur, ſed qui ei rei omni ſtudio & potiſſimum incumbit, *l. 1. iuncta glo. in verbo, omnes, de tribut. act. P. l. legatis ſeruis, & ibi Barth. & alii interpret. de lega. 3. Angel. Aret. in §. introducit, in verſic. in glo. negotietur, quod cum eo qui in alien. poteſt. ap. Iuſtinia.* Vt apud Calliſtratum negotiator dicitur, qui maiorem partem facultatum in negotiationibus adhibet, non qui aliquam particulam. *Calliſtra. l. ſemper 5. §. negotiatio, de iur. immunita.* Quamquam & iterum negotiator paulo aliter quam mercator dicatur, a negotio: negotium autẽ quod negat otium, vt is negotiator vere dicatur, qui omni genere lucri laborioſe vitam exercet ſiue emendo, ſiue vendendo, aut locando, aut conducendo, teſte Martiano
ICto, *l. legatis ſeruis, 63. de leg. 3. lib. 22. P. tit. 1.* ¶ Plato, † mercatu- 8
ræ ſpecies alias hoc modo & commerciorũ explanat. *Commercii,* inquit *Plato, lib. de ente ſiue in Sophiſta, duæ ſpecies: vna in largitione: altera in emtione & venditione conſiſtit. Eam rurſum, quæ ad emendum vendendumque pertinet, bifariam diuidimus. Qui opera ſua venalia facit, propriorum venditor nominatur: qui aliena vendit, commutator.*

¶ Commutatio † autẽ, aut inter eiuſdem ciuitatis ciues con- 9
ficitur, quam cauponariam, καπηλικὴν, vocamus: aut inter ciues & peregrinos, emendo vel vendendo, res ex vrbe alia in aliam permutatur, & mercaturam dicimus. Mercatura præterea duplex, altera ad victum corporis ſpectat: altera ad animi diſciplinam, commutatque nummis eruditionem, ſi quis ea quæ didicit ære doceat, atque hunc mercatorem ſcientiæ vocat ſophiſtam. Quo loci arguere videtur & reprehendere, vendentes eruditionem: non tamen eos qui honorarii loco mercedem laborum, qua digni ſunt capiunt licite, & ideo annonæ illis qui publice erudiunt, ex eccleſiaſticis prouentibus per ſacra concilia, & comitia Gallica aſſignata ſunt, vt gratis pauperes potiſſimum erudirent, *c. quia nonnulli, de magiſtris ap. Greg. & in conſtitution. comitiorum generalium, artic. 9.* Et Paulus Iuriſconſ. mercedes præceptoribus ſoluendas a tutore tradit, non quas minimas poterit, ſed pro facultate patrimonii, & pro dignitate natalium, *leg. cum plures 13. §. cum tutor, de admin. tutor, lib. 26. P. tit. 7.* Neq; tamen ideo recte dicetur venalis ſcientia, ſed potius remuneratio debita præceptoribus, *vt in l. Attilius, de don. P. l. qui filiũ, vbi pupill. educa. deb. P. l. fin. de aliment. pup. præſt. C.* illis maxime qui iura docent. Eſt enim ſanctiſſima ciuilis ſapientia, ſed quę pretio nũmario non ſit æſtimanda, nec dehoneſtanda, dum in iudicio honor, id eſt, ſalarium petitur, qui ingreſſu ſacramenti offerri de-
buit, *l. 1. §. proinde, de variis & extraord. cog.* ¶ Mercaturæ † rur- 10
ſum, quæ ad victum corporis ſpectat apud Ariſtotelem tres ſpecies ponuntur: nauigatio, deuectio, negotiatio, *1. Politicor. cap. 7.*
*Ariſtot.* ¶ Tradit † Dionyſius, *libr. de ſitu orbis.* Phœnicum mer- 11
caturam nauigationis eſſe inuentum: de illis enim ait.

Οἱ δ' ἁλὸς ἐγγὺς ἐόντες ἐπωνυμίην φοίνικες
Τῶν δ' ἀνδρῶν γενεῆς οἱ ἐρυθραῖοι γεγάασιν,
Οἱ πρῶτοι νήεσσιν ἐπειρήσαντο θαλάσσης,
Πρῶτοι δ' ἐμποείης ἁλιδινέος ἐμνήσαντο, &c.

Id eſt:

*Ii vero mari vicine exſiſtentes Phœnices,*
*Eorum hominum originis qui Erythrei nati ſunt.*
*Qui primum nauibus periculum fecerunt maris,*
*Primi item negotiationem mariuagam fecerunt, &c.*

Inde naualia commercia, & leges nauales, quæ de eis dictæ aliter & Rhodiæ, *c. Rhodiæ leges 2. diſtinct. exſtant & leges nauales Iuſtiniani Græce excuſæ.* A naui nauigatio, nauigans, *ca. nauiganti, de vſur.* & nauicularii, *toto tit. de nauic. & naucleris, libr. 11. C.* qui nauium ſunt domini. Et nauicularii quoque, teſte Vegetio, qui Græcis nauarchi, qui in claſſe ſingulis nauibus præſunt, *Vegetius lib. 4. de re mil. & de illis intelligi debent rubrica, & l. 1. de hered. decurio. & nauicularior, lib. 6. C. & l. ſemper, §. negotiatores, de iure immunita. P.* Nauis porro hic erit, ſiue ſit fluuiatilis, ſiue marina, ſiue in aliquo ſtagno nauiget, ſiue συνεδρία, *in l. 1. §. nauem, de exercitoria actio,* id eſt, quæ in portu ſeu in ſtatione conſiſtat. ¶ Con-
tinetur † & nauis nomine ratis, quæ Græcis σχεδία, quę eſt, com- 12
pago connexarum trabium, qua vtebantur antiqui ante nauium inuentionem, quæ tamen accedere tuto mare ob fluctus non
poteſt, *l. ſolet, de feriis, P.* ¶ Mercaturas † ad inuentum Pœnorum 13
refert Plinius, *lib. 7. hiſtor. Nat. c. 56.* cui & conſentire videtur illud Ezechiæ, *Carthaginenſes negotiatores tui a multitudine cunctarum diuitiarum, argento, ferro, ſtanno, plumboque impleuerũt nundinas tuas, Ezech. 27.*

## De Mercatibus & Nundinis. Cap. 3.

Lib. 50. P. tit. 11. Lib. 4. C. tit. 60.

1 *Nundinæ feriæ Paganorum ethnicis.*
2 *Mercatus & mercatorum vtilitas.*

3 *Mercatuum inſtitutor primus Iphitus Elius.*
4 *Nundinarum ius & mercatus quis concedere poſsit.*
5 *Mercatus & nundinarum differentia.*
6 *Nundinarum & mercatuum priuilegia.*
*Anglis nundinarum Lugdunenſium priuilegia negata. eod.*
7 *Nundinarum priuilegia quas res afficiunt.*
8 *Nundinæ & mercatus ne fiant diebus & in locis ſacris.*
9 *Nundinarum introducendarum finis & vtilitas.*
10 & 11. *Rationes.*
*Nundinarũ priuilegia decennio vel triginta annis exſtinguuntur.*
11 *Collegium mercatorum imperialium.*

1 NVndinæ † feriæ Paganorum, id eſt ruſticorum apud Romanos erant: quibus conueniebant negotiis propriis vel mercibus prouiſuri, *Macrob. lib. 1. Saturnal. ca. 16.* Fiebant autem nono quoq; die, vnde etiã nomẽ habuerunt *Plutarch. in Coriolam, vita & Dionyſ. Halicar. libr.* 2. Mercatus & pro nundinis, ſeu loco & tempore nundinarum, ἐμπόρειον, vbi conueniunt mercatores. Nundinæ, inquit Dionyſi. Halicar. nono quoque die celebrabantur, vt nunc etiam, quo plebs agreſtis in vrbem ad mercatum conueniebat, finiendiſque litibus, & ad ſuffragia ferenda de negotiis publicis, quorum ius erat penes populum, aut de quibus ſenatus retuliſſet ad eum. Reliquis ſeptem diebus ruri degebant, quod magna pars operaretur ob paupertatẽ ſuis ma-
2 nibus, *Dionyſ. Halicar. lib. 7. hiſtor. Rom.* ¶ Et † Calliſtratus, *l. 2. de nundinis, lib. 50. P. tit. 11.* ex ſententia Platonis, *libr. 32. dialogo 2. de repub.* duo genera perſonarum in mercatibus, & nundinis conſtituit: vnum ruſticorum & habitantium, aliud eorum qui illis miniſtrant, qui euehunt & inuehũt ſingula, vel vtilia & neceſſaria: [ἔτοι δ' εἰσὶν ἔμποροι, inquit, *iſti ſunt negotiatores ſeu mercatores:*] oportentem autem agricolam aliquid eorum quæ facit, vel alium conductorum illis diſtrahere cito, & ad opera redire debere, quod non fieret niſi ſtati certis locis & temporibus adeſſent mercatores huius rei adminiſtri. Qua & ratione ſi cupiditas lucri nimia a mercatoribus abſit, mercatura erit vtiliſſima commerciorum cauſſa, & vt Cic. ſcribit 1. de Offic. *Mercatura ſi tenuis eſt, ſordita putanda eſt: ſi magna & copioſa, multaque vndiq; apportans, multiſque ſine vanitate impartiens, non eſt admodum vituperanda: atque etiam ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potius, vt ſæpe ex alto in portum, ex ipſo portu ſe in agros poſſeſſioneſue contulerit, vi-*
3 *detur iure optimo poſſe laudari.* ¶ Genus † emtionis celebre ait Velleius Paterculus *in priore libr. Romana hiſtoria circa principiũ.* negotiationem, & mercatum quidẽ prius inſtituiſſe apud Græcos, ſicut & certamen primum Olympicum, Iphitum Elium.
4 ¶ Ius † concedendi nundinas, olim ad ſenatum pertinebat Romanum, *Plinius, lib. 5. epiſt. ad Valerianum ſcribens.* a conſulibus quoque petitum innuit Suetonius cum ait, *Claudium Imperatorem legibus ſeipſum ſubiicientem publicis, a conſulibus petiiſſe ius nundinarum in ſua prædia, Suetonius in vita Claud.* Petitæ & a principe poſtea, *l. 1. de nundinis. P. l. 1. C. eod. tit.* vt & hodie in Gallia, mercatus, nundinas & legitimationes non concedunt alii quam ſolus Rex, *in conſtitutione Ludouici 12. publicata anno 1512. ca. ſeu artic. 12.* Hiſpanica etiam lege, ſola conſuetudo, vel regis priuilegium nũdinas concedit, & tributum in eis maius exigi nõ poteſt, quam a rege permiſſum. Nec aliud peti a territorii domino vel alio, quam nundinarum ius vel æs alienum in nundinis con-
5 flatum, *in legib. Alphonſi. 5. par. tit. 3.* ¶ Non † omnis mercatus nundinalis eſt, ſed omnes nundinæ mercatum habent. Etenim mercatus eſt locus & dies deſtinatus vendendis rebus, forum venale certis, diebus deſeruiens cum modico priuilegio. At nundinæ hodie dicuntur ſtati dies in locis vel ciuitatibus certis, mercandi cauſſa libere conceſſi, cum immunitate a principe donata vectigalium ſeu gabellarum & pedagiorum, *l. vnic. C de nund.*
6 ¶ Forma † mercatus & nundinarũ ex lege conceſſionis pendet: priuilegia enim alia aliis irrogari ſolent, quæ communia non ſunt. Valens & Valenti. CC. beneficii huius vtilitatem indulgent, vt nullum in mercatibus atq; nundinis ex mercium negotiatoribus conueniant, vel in venalitiis, aut locorum temporali quæſtu, & commodo priuata ex actione ſectentur, vel ſub prætextu priuati debiti, aliquam ibidem concurrentibus moleſtiam poſſint inferre, *l. 1 de nundi.* ¶ Anno 148 : lata lex a Ferdinando & Iſabella regni Hiſpaniarum conſortibus vt commeantium ad nundinas priuilegiatas nullus comprehendi poſſit iure oppignorationis, ſeu repreſſaliarum, ſeu clarigationis. Et alia lege cautum ne regnum adeuntibus ſeu nundinas, aliiſque mercatoribus bona per vim auferrentur, rerum alioquin reſtitutione ſummatim iureiurando in litem decidẽda, *in codice legum Hiſpaniarum in 5. par. tit. 7. l. 4.* Negotiatoribus, vt Romam volentes concurrerent, maximam dedit immunitatem Alexander Seuerus Imperator, *Ælius Lampridius in eius vita.* Quatuor nundinis Lugdunenſibus, immunitates quoque reges Galliæ plures præbuerunt, ab omnibus vectigalibus, prout priuilegiorum reſcriptis & edictis principum confirmatorum exſtat iuſtum volumen quod priuilegia docere poterit, *hic liber excuſſus ab Antonio Gryphio Lugduni 1574. in folio, titul. edictz & ordonnances, &c. des Foyres de Lyon.* in quibus libera omnium nationum &, populorum datur his temporibus Lugduni negotiãdi licentia publica adhibita fide, & ſecuritate: exceptis nominatim a Ludouico 11. Anglis ſeu Britannis, vt antiquis Galliæ hoſtib. quibus non temere fidendum cenſebat, hocq; ita ſanciuit edicto quo trãſtulit nundinas Geneua Lugdunũ, 25. Octob. 1462. *exſtat hoc edictum in prædicto volumine priuilegiorum nundinarum Lugdunenſium, p. 38. & 42.* Sicuti & Honorius & Theodoſ. Cæſares, inhibuerunt nundinas frequentari gentium cum Romanis diſſidentium, vel non confœderatorum: ne alieni regni, quod non cõuenit, ſcrutentur arcana, & ad nundinas quoq; Romanorum extraneos venire eadem ratione prohibent, *l. mercatores 4. & l. fin. de cõmer. & merca. C. l. 1. quæ res exportari nequeant, C. lib. 4. tit. 51. leg. 2. quæ res vend. non poſſ. C.* ¶ Priuilegia nundinarũ, res afficiunt in nun- 7
dinis earum tempore durãte emtas, etſi non tempore nundinarum, ſed paulo poſt efferantur, vel longo poſtea interuallo, *Bal. in l. vnic. C. de nundinis, argumento, l. 3. § ſcio, de min. P.* Et, contra ſi ante nundinas res vendita ſit, quamuis tempore nundinarum tradita, priuilegium locum non dat, niſi intuitu & cauſſa nundinarum contractũ fuerit, vel ea lege vt nũdinis ſolueretur. Exſtat placitum concilii ſanctioris iudicio contradictorio ſlatum 27. Septemb. 1553 quod declaratur, priuilegium immunitatis vectigalium conceſſum rebus emtis in mercatibus nundinalibus Lugduni, durare a nundinis ad proximas nũdinas: niſi longius tempus ſuadeat neceſſitas, quæ intercepit occaſionẽ intra prædicta tempora euehendi. ¶ Locus † negotiandi, & mercatus, & tem- 8
pus, a ſacris ſecerni debent locis, & feriis, in quibus orationibus vacandum eſt, *D. Matthæi, c. 21. c. & hoc diximus 16 q. 7. c. omnes 88. diſt.* Et apud Eſdram prohibitum vendere ſabbati die, *ca fin.* Carolus Mag Imp prohibet mercatum & nundinas haberi diebus dominicis, *libr. 2. legum Longobar. l. 1. de feriis.* Et in Gallia noſtri reges repetitis conſtitutionibus vetant.

¶ Finis † præcipuus nundinarum priuilegiatarum eſt, vtilitas 9
ſocietatis humanæ, cui facilius conſulitur, data immunitate, & releuatis oneribus vectigalium, quæ ſæpe deterrent a commertio mercatores, dataq; ſecuritate, & ſub tutela publica extraneis receptis qui alioquin ſibi metuentes, nobis nequaquam ſua cõmunicarent. Ideo ſi earum vſus omittatur per decennium, iure ciuili exſtinguũtur, veluti inutiles, *l. 1. de nundinis P.* aliquando &
per 30. annos. ¶ Sed † & rationes aliæ poſſunt addi priuilegio 10
rum nundinarum & delectus locorum. Prior, quia inde barbarorum neceſſitudines, regumq; amicitias comparemus, mores ritusq; gentium addiſcamus hiſq; ſi meliores ſint noſtras emendemus, ſi peiores noſtros vt emendentur communicamus. adde ſecundo vtilitatem, quam magni facit Cicero publicam. *Nam,* inquit *cum vectigalia ſint nerui repub. & ea ex vectionibus mercatorum ſumantur, conſtat hunc ordinem eſſe negotiatorum fauore dignum. Cicer. pro lege Manilia.* Et Valens & Valentinia. CC etiam a mercatoribus ſeu negotiatoribus, quę ad domum imperialem pertinent exigi neceſſitatem debitam penſionũ ex emolumentis negotiationum volunt, *l. 1. de com. mer. & mercat. C.* Erant quippe in collegio negotiatorum qui ad domum principis pertinebant, 563. *l. ceſſante 5. eod. tit. de commer.* ¶ Subinde † ex loci & 11
tẽporis certitudine, & ordine qui adhibetur circa vænalia, fraudes multæ extruduntur: & ne vetita væneant, vel transferantur, prohibetur: neve vagi ſint mercatores, & ne pecunias in cõquirendis ciuitatim mercibus, temere perdantur proſpicitur, conuenientibus vnum in locum diebus decretis ementibus & vendentibus Quare & proba lex illa Caroli Magni, ne mercatus vllo alio loco habeatur quam vbi antiquitus fuerit, vtq; legitimus ſit, *lib 3. legum Longobar. tit vbi mercat. haben ſit. l. vnica.*

## De reb. quæ vendi vel emi nequeunt. Cap. 4.

1 *Vendi emiue res quid prohibeat.*

2 *Emere*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

2 *Emere & vendere aliquando lege apud Spartiatas inhoneſtum.*
3 *& ſeq. Vendi num poßit res ſubiecta reſtitutioni.*
4 *Reſtitutioni ſubiecta quãdo dotis cauſſa vendi poſſunt a grauato.*
5 *Piæ cauſſæ gratia reſtitutioni ſubiecta alienari poſſunt.*
6 *Funeris teſtatoris cauſſa res ſubiecta reſtitutioni alienari poteſt. eodem.*

1 PRohibentur † res emi & vendi, vel abſolute, vel cum aliquo
temperamento, vel a natura, aut a lege, vel ab hominis con-
tractu, vel vltima voluntate, vt alibi annotauimus, *in lib. 21. de ge-*
*nerali tractatione conuentionum, c. de rebus* 4. Hic tamen latius res
2 vendi & emi prohibitas percurremus. ¶ I. Lycurgus † lege ſan-
ciit apud Spartiatas, emere & vendere eſſe inhoneſtum: donare
autem, vel teſtamento relinquere licere. Quæ lex quia inæqua-
litatem magnam genuerat in ciuitate, aliis opulentis, aliis pau-
peribus ob commercia vetita, abolita eſt, vt cuique, & cuicun-
que, & quomodocunque res ſuas dare permiſſum eſſet, *Ariſto.*
3 *lib. 2. Politico, c. 7.* ¶ II. Res † quæ ſubiecta eſt reſtitutioni, vendi
non poteſt in præiudicium eius, cui facienda eſt reſtitutio: vt in
fideicommiſſo apparet, *l. fi. §. ſed quia noſtra maieſtas, C. commu. de*
*lega.* ſiue pure, ſiue ſub conditione impoſitum ſit reſtituendi o-
nus, *§. 1. de reſtitutio. & ea quæ parit in 11. menſe coll. 4. vide glo. cum*
*textu, in l. Marcellus, §. res quæ, ad ſenat. Trebell.* Notatur tamen,
vt ſi emtor & venditor ignorauerint reſtituendi onus, nõ reuo-
cetur venditio, ſed is cui reſtitutio facienda erat, repetat legiti-
mam eius rei æſtimationem, *l. fi. §. fi. de lega. 2. Baldus, Cynus, in*
*auth. res quæ, communia, de legat. C. Fabianus de monte Sabino, in*
*tract. de emtione, quæſtio. 12. quæſtionis 4. principalis.* ſi tamen ipſa
ignorantia cauſſam habet a facto teſtatoris. Similiter quoq, re-
ceptum, vt ſi propter dotes filiarum teſtatoris, vel ob donationes
propter nuptias, vel alimentorum earum cauſſa fiat vẽditio, tan-
quam licita probetur, *authentica res quæ, C. commu. de legat. au-*
*then. contra rogatus, C. ad ſenatu. Trebell. l. mulier, 22. §. cum propo-*
*neretur, eod. tit. ad Trebellia. l. ſed etſi lega. § quod autem eod. ad Tre-*
4 *bell.* ¶ Quod † locum non obtinet in dote conſtituenda liberis
deſcendentibus ex fœminis præmortuis, & onus reſtituendi im-
ponentibus, quia regulariter officium maternum non eſt, dota-
re filias, *l. neque mater, C. de iure dot.* Sicque notant interpretes,
*in l. ſi dotale, C. ad ſenatuſcon. Velleia.* Ita filia grauata a patre de re-
ſtituendo, non poterit pro filia ſua, ex bonis ſubiectis reſtitutio-
ni dotem conſtituere, vt ait Bartolus, *in l. a filia 62. ad Trebell. P.*
quia non ſequitur matris ſed patris familiam, *l. ſine autem agnati,*
*de legitima agna. tutel.* Atque quod dictum eſt licere ſubiecta re-
ſtitutioni per filium in dotem conſtituere, adhuc verum tãtum
eſt, quando prohibitio fit a patre in vltima voluntate, vbi latius
placita explicantur, & extenſionem verba ſeu interpretationem
accipiunt: non autem ſi res reſtituenda eſſet ex cõtractu, in quo
nec fauore dotis admittitur ea interpretatio, *Bald. in l. nulla lege,*
*per glo. ibi poſitam, de iur. dot. C.* quod contractus ex conuentione
legem accipiant, *l. 1. §. conueniat deposit. P.* & ex duorum vel plu-
rium conſenſu quæ ex pactione reſtituenda ſunt, habent prohi-
bitionem, *arg. l. 1. de pact. l. pactum, de pollic. in P.* vt in præiudicium
alterius illorum, inuitis aliquibus non poſſint immutari, *l. nihil*
*tam naturale, de reg. iur.* Cũ tamen vltima voluntas ex vnius pen-
deat arbitrio, *l. illa inſtitutio, & l. captatoriæ, de hered. inſtit. in P.*
*cum ſimil.* & ex mente illius præſumtionem admittat, teſtantem
ſemper dilexiſſe deſcendentes: & ſi illorum inopiam cogitaſſet.
illis proſpexiſſe, potiſſimum ſubſtitutis extraneis, quos veriſimi-
liter non prætuliſſet, *l. cum acutiſſimi, C. de fideicommiſſis, leg. cum*
*auus de condit. & demonſt. l. generaliter, §. cum autem, de Inſtit. ſub*
*condit. fact.*

5 ¶ Proinde † eadem præſumtione, fauore piæ cauſſæ & vt im-
pleri poſſit voluntas teſtatoris in ea, placuit reſtitutioni ſubiecta
alienari poſſe, *l. quidam 25. §. fi. ad ſenatuſ. Treb.* quia hęc cauſſa ad
teſtatorem pertinet, ſiue ſalutem animæ, ſiue implementũ man-
datorum teſtamento cõtemplemur, cum interſit defunctorum
ſupremum eorum iudicium impleri, *l. vel negare, quemad. teſta.*
6 *aperian.* ¶ Vt & funeris cauſſa permiſſa eſt diminutio & diſtra-
ctio hereditatis, quæ habet reſtitutionem, etiam non præbita
cautione, *l. diuus Pius, de petitio. hered. l. ſcriptus heres de religio, &*
*ſumti. funer. P.* Atque res quæ ex neceſſitate præcedenti aliena-
tur, non imputatur in quartam: niſi conuerſum ſit quod proue-
nit, ex illa alienatione in vtilitatem heredis, tunc enim alienatio
redderetur iniuſta *glo. in l. Marcellus, §. res quæ, & ibi Bart. Paul.*
*Alex. Iaſ. ad Senatuſ. Treb.* Hac ratione ex neceſſaria cauſſa, &
fauore ipſius teſtatoris, res ſuppoſitæ per eum reſtitutioni, ven-
di per creditores eius poſſunt, ſeruato iuris ordine, ad diſſoluen-
dum æs alienum in præiudicium fideicommiſſi, *l. filiusfamilias,*
*§. diui de lega. 2. l. ſi fundum per fideicommiſſum, de lega. 1. l. 1. & 2.*
*C. debitorem venditionem pigno. impedire non poſſ. Bald. in l. volun-*
*tatis, C. de fideicom.* Tantum enim ſolum *in bonis habere* videtur
teſtator, quantum ſupereſt deducto ære alieno, & in illis ſolum
legem dicere poteſt. *l. ſubſignatum, § bona, P. de verb. ſign.* Vt &
ob æs alienum patris minorum bona, alioquin inalienabilia, re-
cte vendi poſſunt, *l. ob æs alienum 20. de præb. & aliis reb. minor. C.*
*lib. 5 tit. 8.* Quin & is, cui reſtitutio facienda eſt, pro parte eius
quod ex hereditate conſequitur, ad æs alienum teſtatoris diſſol-
uendum tenetur, *l. 2. ad Trebellia. C. l. 1. §. fi. eod. in P.* Ceterum
obſeruandum eſt, prohibitionem alienationis ob fideicommiſ-
ſi reſtitutionem intelligi debere venditionem vel alienationem
ita demum impedire, ſi tempore reſtitutionis faciendæ valere
poſſit. Nam ſi ſub conditione fiduciaria fiat inſtitutio, penden-
te conditione, valebit alienatio & emtio, ratione fructuum, qui
non ſunt reſtituendi, medio tempore percepti, *leg. 1. §. ſin autem*
*ſub conditione, commun. de legat. C. §. quamobrem, de reſtitutio. &*
*ea quæ par. in 11. menſ. in Authen.* adueniente autem tempore re-
ſtitutionis, alienatum reſtituendum in priſtinum redit ſtatum,
*l. ſi fundum 104. de conditio. & demonſtratio. P. l. ſi is cui, 11. §. fin.*
*quemadmod. ſerui. amitta. l. ſeruo legato 72. §. 1. de lega. 1. l. Mar-*
*cellus, §. res quæ, ad Senatuſconſultum Trebellian.* Et reſoluto iu-
re dantis, reſoluitur ius accipientis, *in leg. lex vectigal fundo, de*
*pignor.* Neque tamen prohibita rei alienatione, cenſetur pro-
hibita fructuum eius rei diſtractio, *leg. codicillis, 91. §. cum in-*
*ſtituto, de legat. ſecundo, leg. in ædibus, §. ex rebus, de donatio. P.*
niſi ſi ſine temporis præfinitione, vel in perpetuum fructus alie-
nati eſſent: quia illa cenſetur rei alienatio. *l. 1. §. quod autem ait,*
*de ſuperficieb.* Alioquin autem res poterit alii quoque obnoxia,
alienari cum onere ſuo, & ſaluo iure aliorum, *l. 1. C. rem alien.*
*gerentibus non interdici, rerum ſuar. aliena. l. nihil proponi, 123. de le-*
*ga. 1. l. item Labeo, §. 1 famil. erciſcund. P. l. 1. de fund. patrim. lib.*
*11. C. c. ex literis, cum ſimil. ibi nota. de pign.* Res quoque aliquando
poſtea reſtituendæ mobiles, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt,
vendi poſſunt, nec prohibitione generaliter alienãdi facta con-
tinentur, *l. diuus, de petit. hered. l. pro herede, §. 1. verſ. proinde, de*
*acquiren. heredita.* Huius generis ſunt res, quę tempore pereunt
& facile corrumpuntur, vt fructus & ſimilia, quæ etiam procu-
rator ſine ſpeciali mandato poteſt diſtrahere, *leg. procurator tuto-*
*rum, de procurator. in P. l. 1. ſi aduer. vend. C.* Item res attritæ, & ſu-
perfluæ *l. lex quæ tutores. de admin. tut. C. l. fin. quando decreto opus*
*non eſt.* Poſſunt & res fideicommiſſo oneratæ, immobiles, alie-
nari, vendi & diſtrahi, conſentientibus illis, quorum fauore fi-
deicommiſſum factum eſt, *l. cum pater, §. libertis, de legat. 2. l. ni-*
*hil, §. omnibus, de lega. 1. l. quoties 11. C. de fideicommiſſ.* cum cuique
ſuum beneficium eiurare liceat, *l. ſi quis in conſcribendo, C. de pact.*
ſiue expreſſe, ſiue taçite, diſtinctione legis adhibita, *de qua in l. ſi*
*fundum 94. de leg. 1.*

## De Prohibitione alienationis rerum Dotalium. Cap. 5.

1 *& ſeq. Dotales res mobiles, aut immobiles quando alienari poſſunt.*
2 *& ſeq. Maritus pauper an poßit res dotales mobiles diſtrahere ſine cautione.*
3 *Dotales res inæſtimatæ marito datæ, cuius periculo intereant, an mariti aut vxoris.*
4 *Veſtis æſtimata data vxori, in dotem eſt, & teritur periculo mariti.*
5 *Dotales immobiles res, inæſtimatæ, non poſſunt a maritis vendi, ſed num conſentientibus vxoribus poßint.*
6 *Dotalis res alienata a marito & vxore repeti poteſt.*
7 *Dotales res quibus caſibus pendente matrimonio, alienari & repeti poßint.*
8 *Dotales res æſtimatæ a marito quomodo vendi poſſunt.*
9 *Donata propter nuptias immobilia an alienari a marito, conſentiente etiam vxore, poſſunt.*

IN † quæſtione quotidiana, an res dotales quæ ſubiectæ ſunt 1
reſtitutioni, poſſint alienari, diſtinguẽdum cenſeo: an illę ſunt
mobiles, an immobiles. Rurſum num immobiles datæ æſtima-
tæ, an ſine æſtimatione. Et iterum ſi mobiles in dotem dantur,
an ex earum genere ſint, quæ functionem in ſpecie accipiant, id
eſt, quæ conſtent numero, pondere, aut menſura, an contra. De

2 mobilibus igitur primum. † Mobiles † res, quæ functionem in
ſua ſpecie recipiunt, in dotem datæ, periculo mariti ſunt: & ea
lege ei datę cenſentur, vt eas ſi velit diſtrahat, & ſoluto matrimo-
nio, ipſe vel heres eius, eiuſdem generis & qualitatis alias red-
dat, vt tradit Caius, l. res in dotem 43. de iure do. in P. lib. 23. P. tit. 3.
Neque arbitror poſſe prohiberi marito, quamuis inopi, harum
rerum diſtractionem. Quia neque pro his fideiuſſor ab eo peti
poteſt, l. 1. ne fideiuſſor. dot. dent. niſi forſan cõſtante matrimonio,
vergente marito ad inopiam, res dotales repetere velit, ex legis
auctoritate, l. vbi adhuc, C. de iure dotium, ca. per veſtras, de donat.
inter vir. & vxor. apud Gregorium. Quod ſi mobiles alterius ge-
neris ſint, diſtinguitur, an æſtimatæ datæ fuerint ſimpliciter: an
æſtimatæ ea lege, vt illæ ipſæ reddantur: an inæſtimatæ. ¶ Inæſti-
3 matæ † namque, cum attritæ, vel conſumtæ periculo vxoris ſint,
vt veſtimenta, animalia, & ſimilia, l. plerumque 11. de iure dot. ven-
di non poſſunt a marito, inuita vxore. Si tamen ea conſentiente
vendantur, valet venditio: dummodo ſoluendo ſit maritus, l. ſer-
uum dotalem 11. de manumiſſionibus, lib. 40. P. tit. 1. l. 3. de iure dot.
C. l. ſi ex lapidicinis, eo. tit. P. l. 1. & fin. de ſeruo pign. dat. manumiſſ.
Quia & res dotales meliores facere tenetur maritus, l. etiam 19. §.
1. ibi in ratione ſui ſolut. matrim. in P. Si dotales res mobiles æſti-
matæ ſimpliciter ſunt mobiles, liber & in illarum venditione eſt
maritus: quia ab vxore liberatur, vel a repetitione, ſoluendo æ-
ſtimationem: niſi vxori relicta ſit electio, num potius res quam
æſtimationẽ velit repetitionẽ intentãs, tum enim libera non eſt
venditio marito, leg. plerunque. §. final. de iure dot. P. l. ſi æſtima-
tis 51. ſolu. matrim. P. In dubio æſtimatio rerum datarum facit
emtionem, gl. in l. ſi inter virum, C. de iur. dot. ideo vt emtor ma-
4 ritus recte & libere, vt dominus ſolus vendet. ¶ Etenim † res
mobiles ita æſtimatæ, periculo ſunt mariti, etiamſi vſu mulieris
deteriores fiant, l. æſtimatæ 52. ſolut. matr. P. vt ſi panni in dotem
dati æſtimati ſint, & mulier eos conſumſerit, ad æſtimationem
5 maritus tenebitur, gl. in d. l. æſtimatæ. ¶ Ceterum † immobilis
res in dotem ſimpliciter ſine æſtimatione data, vendi non po-
teſt, nec alio modo a marito alienari, etiam mulieribus hodie,
iure ciuili, cõſentientibus, quamuis per legem Iuliam de fundo
dotali olim liceret, illis volentibus, in l. vni. §. & cum lex Iulia. de
rei vxor. acti. C. §. 1. quib. alien. lic. vel non, l. lex Iulia, de fundo do-
tali, in P. Nec poteſt renuntiare huic priuilegio vxor cõſentiens,
l. de die, de pact. dot. in P. cum non tantum in ſui, quantum in rei-
publicæ fauorem inductum ſit, cuius intereſt mulieribus dotes
conſeruari, & dotatas eſſe fœminas, quo facilius nubant, ſobo-
lem relinquant, & ciuitates liberis hominibus repleant, l. 1. ſolut.
matrim. P. l. 2. de iure dot. P. l. 2. & 3. de priuileg. creditor. l. pater,
de dote prælega. P. l. 2. de pact. dotal. P. Melius enim nubunt cum
dote, quam ſine ea. §. quia vero, de æqualita. dotis in Authent. d. l.
2. de iure dot. l. qui nupt. P. Sed & arcet maritos ab hau dotalium
immobilium venditione, C. l. in reb. C. de iure dot. alia ratio, quod
dos naturaliter dicatur eſſe in dominio vxoris, & ideo libere non
diſtrahatur a marito, tanquam a non domino, quare & pro one-
ribus matrimonii ſubeundis, ab vxore, tanquam a domina repe-
titur aliquoties, dict. l. vbi adhuc, Cod. de iure dot. l. ſi dos conſtante
matr. ſol. fuer. C. Etſi dotis cauſſa ciuili modo in dominio mariti
dicatur §. 1. quib. aliena. licet vel non, l. doce ancillam, C. de rei vin-
dic. Subinde neq; res immobiles inæſtimatæ dotales, in noſtro
commercio eſſe dicuntur, glo. in l. dotali, de milita. teſtam. l. mor-
tuo boue, §. Labeo refert, de lega. 2. & ideo inalienabiles. ¶ Quin-
6 imo † tradunt, maritum ipſum vendentem dotalem rem, ean-
dem iterum poſſe vindicare, nullo exſiſtente præcedente con-
tractu eius qui contra leges, vel earum prohibitionem mercatus
fuerit, l. quemadmodum de agric. & cenſit. lib. 11. C. l. non dubium,
C. de legibus, videlicet pendẽte matrimonio: & ipſam mulierem
etiam ipſo ſoluto, l. in reb. C. ſolu. matrim. Notabile tamen arbi-
tror, vt muliere defuncta, in matrimonio, ſi tota dos lucro mari-
ti cedat, vt fit vel ex pacto, vel conſuetudine, venditionem dota-
lium rerum a marito factam confirmari. Quemadmodum qui
emit a non domino, ſi venditor cœperit fieri dominus, vel do-
mino ſucceſſerit, ratam habet ius venditionem & efficacem, leg.
cum vir 4. de vſucap. in P. lib. 41. P. tit. 3. neq; maritus ex mulieris
mortuæ perſona venditionem reſcindet: quia obſtrictus iam e-
uictionis nomine eſt, l. vindicantem de euict. in P. l. nec nos de capti-
uis, C. neque ex ſua, vtpote improbus qui factum ſuum impu-
7 gnet, l. cum profitearis, C. de reuoca. donat. ¶ Huc † tamen referri
oportet exceptiones, & quoſdam caſus, in quibus, & quemad-
modum ante ſolutum matrimonium a marito reſtitui poteſt
dos, ita & alienari poſſunt dotalia: vt ſi prouocetur ad diuiſionem
fundi dotalis maritus, l. communi diuidundo §. ſi debitor, commun.
diuid. P. l. fin. C. de fundo dotali, l. cum in fundo 81. §. pen. de iur. dot.
quod pendet potius ex neceſſitate cogẽte extranei, quam ex vo-
luntate mariti, cum inuitus in communione nemo cogatur ma-
nere, l. fi. C. commu. diuidun. etiamſi cũ pupillo rem habeat com-
munem, a qua velit diſcedere, l. inter omnes, de præd. & aliis rebus
minor. C. Eſtque hæc, vt neceſſaria alienatio, permiſſa, l. & ideo &
l. eleganter, de condict. fur. P. vt in aliis piis & honeſtis cauſſis, de
quibus in l. quamuis, 21. ſolut. matrim. P. & in l. Mutius, 76. §. ma-
nente, de iure dot. P. Permutari etiam poſſe res dotales, ſine præ-
iudicio vxoris in confeſſo eſt, l. fin. de iure dot. in P. l. ita conſtante,
27. & ſeq. 28. l. minutis, §. manente, eod. tit. cuius nihil intereſt, ſic-
uti quando per vniuerſitatem tranſeunt in heredem mariti, l. 1.
de fund. dotal. P. vel vſucapiuntur ſine eius incommodo. Neque
etiam negandum eſt, ex iuris pontificii placitis, vxores conſen-
tientes alienationi rerum dotalium, & reuocationi cum iura-
mento renuntiantes, non poſſe venditionem ex eo capite, quod
dotales fuerint, reſcindere, c. licet mulieres, de iureiuran. in Sex. ca.
cum contingat. eod. tit. ap. Gregor. Niſi cautela adhibeatur, ad eui-
tandum alienationis effectum, vt iuret mulier in datione dotis,
quod poſtea non conſentiet alienationi: iuramentum namque
poſtmodum adhibitum non valebit, vt contrarium primo, glo. in
d. c. licet, Imola, in l. ſi æſtimatis, de ſolut. P. Et primo iuramento
ſtandum erit, c. intellecto, de iureiurand. Valebit quoque aliena-
tio rerum dotalium, in eius præiudicium, qui ſe pro ea venditio-
ne obligat, vt pro euictione teneatur, l. cum vir, de vſucap. non
autem in vxoris præiudicium. ¶ Quod † ſi prædium, vel aliæ res 8
cum æſtimatione dentur, diſtinctio quoque adhibenda, cum
ſimpliciter æſtimatæ datę, & tunc a marito libere vendi poſſunt:
l. quod ſi fundus 11. de fundo dota. P. quia emtor & dominus cenſe-
tur, quod in dubio, vt dixi, æſtimatio faciat emtionem, glo. in l. ſi
inter virum, C. de iure dot. l. cum fundus, loca. P. & maritus tantum
ad ſolam tenetur æſtimationẽ, l. quoties & l. cum dotem. C. de iur.
dot. videlicet quando poſt æſtimationem matrimonium ſequu-
tum fuerit, alioquin enim non ſequuto matrimonio, res ipſa,
non pretium reſtitui debet, l. in reb. §. fin. de iure dot. P. in omni
enim dotis conſtitutione & promiſſione, tacita pactio ſubintel-
ligitur, ſi matrimonium ſubſequutum fuerit, l. 4. §. 1. de pact. P. l.
ſtipulatione de iur. dot. in P. quod dos ſine eo dici non poſſit, l. cum
multa 20. de dona. ant. nupt. lib. 5. C. tit. 3. Quod ſi æſtimatio re-
rum dotalium facta fuerit, ea mente vt intelligatur quãtum va-
leat prædium, alienatio libertatis mariti non erit. Similiter ſi æ-
ſtimatione facta electio reſeruetur vxori, num potius fundũ, aut
pretium velit: quo caſu & eius conſenſus venditioni adhiben-
dus, & lex Iulia locum habet, l. 1. de fund. dota. C. l. ſi fundum, eod.
tit. P. quippe quod pro non æſtimato habeatur, l. plerumque, §.
final. de iure dot. P. ¶ In rebus † immobilibus porro, quæ titulo 9
donationis propter nuptias ſunt alienationem quoque marito
interdictam eſſe conſtat, & conſenſum mulieris nihil eam iuua-
re, nec officere quominus ſoluto matrimonio detur ei pro ſpon-
ſalitia largitione in rem actio niſi ea poſt biennium iterũ eidem
alienationi conſenſum adhibuerit ex iure Codicis, & viro aliæ
res ſuperſint quibus indemnis reddi poſſit, authent. ſiue a me, ad
Velleian. §. ſi quis igitur, vt in mobilia, nuptialis donat. & c. collat. 5.
conſti. 14. ſitque perfectæ ætatis mulier, l. ſi mulier 22. ad Senatuſ-
conſ. Velleian. C. id eſt, 25. annorum, l. fin. de iis qui veniam ætatis im-
petra. In rebus aliis vxoris vendendis, quæ paraphernales dicun-
tur, conſentire poſſe mulierẽ, tradit Harmenopulus, lib. 3. promp-
tua iuris, tit. 3. firmat l. ſi ego, §. dotis, de iure dotium, l. hac lege, C. de
pac. conuent.

## De Fructuum futurorum venditione.
## Cap. 6.

1 Vſufructuarius non ius vtendi, ſed fructus poteſt alienare.
2 Fructus herbacei, vel antequam ſint maturi, an vendi poſſint.

IVs † vſusfructus, & quod alimentorum nomine debetur, ven- 1
di omnino non poteſt, Bald. in l. cum Titio, ad leg. Falcid. per l. ſi
vſusfructus 67. de iure dot. P. Quia hoc ius perſonæ adhæret, &
cum perſona exſtinguitur § finitur, de vſufruct. l. ſtipulatio iſta, §.
ſi quis ita, de verbor. oblig. l. 3. §. morte, quib. mod. vſusfruct. amitt. l.
non ſolum, §. tale, de liber. leg. P. quamuis contra proprietarius
rem debentẽ vſumfructũ poſſit libere diſtrahere, l. fundi Treba-
tiani, de vſufru. lega. l. fi. §. fi. de contrah. emt. l. nihil in pr. de leg. 1. l. li-
berto de annuis lega. licet tamẽ vſufructuario vendere fruendi cõ-
moditatem,

moditatem, & fructus quos ipſe percepturus eſſet, *l. neceſſario, §. fin. de peric. & commod. rei vend. P. l. arboribus, §. vſufructuarius, de vſufruct. P.* Sic & annuus reditus emi poteſt, *l. iubemus, in 2. quæſt. 14. in fin. C. de ſacroſa. eccleſ. §. vult enim, de non aliena. reb. eccleſ. in Authentic.* non autem fructus perſonalis vſuum, qui nec cedi, nec legari alteri quã domino, ſeu proprietario, poteſt, *d. l. ſi vſusfructus, de iure dotis, l. ſi vſufructuarius, de noua. § item ſi de vſu, & habitatio. l. ſi nec locabunt, & l. plene, §. ſi vſus, eo. tit. P. l. corruptionem, C. de vſufruct.* qui & fructus rei ſuæ ad certum vſque tempus vendere poteſt, *Petrus Iacobi. in praxi titu o de gargeria, lex in l. ſi debitor, 39. de contrahend. emt. in P.* Sicuti & promittere alicuius rei futuros, pro quibus tunc incipiet deberi actio, cum per rerum naturam præſtari poterunt, *l. interdum pure 73. & l. vbi autem, 75.*
2 *§. illud, de verbor. oblig.* ¶ Permittit † & ius vendere fructus herbaceos, *l. qui fiſtulas, 68. §. frumenta, quæ in herbis, de contrah. emt. P.* dicunt Galli *le ſeme & la cueillete*, vel fructus in herba. Effecit tamen nimia habendi cupiditas aliquorum, vt lex fieret ad intercipiendas fraudes negotiatorum, ne fructus in herba, antequam matureſcerent, emerentur, quæ a Carolo Magno *tit. de prohibitione alienationis futurorum fructuum, li. 2. legum Longobardorum,* primum lata, deinceps a Ludouico vndecimo, *conſtitutio. Ludo. 11. anni 148. 2. artic. 1.* & ſubinde a Franciſco primo huius nominis Rege, *conſtitutio. Franciſci, 1. tit. de la traicte des bledz* repetita.

## De rebus quæ vendi non poſſunt, ob prohibitum earum commercium. Cap. 7.

1 *Vendi, quæ non ſunt in commercio, non poſſunt.*
*Hominis liberi venditio non valet, & quando ſuſtineatur, eod.*
2 *Pater filium tempore famis licite vendit: non etiam mater.*
3 *Vendi non poſſunt res diuinæ & ſacræ.*
4 *Sacra quibus modis profana reddantur.*
5 *Publicæ res a priuatis vendi nequeunt impune.*

1 NAtura † liber homo ab emtione eximitur, *§. final. de emt. l. ſi in emtione, §. liberum, de contrahend. emtion.* Suſtinetur tamen inter ignorantes liberum eſſe venditum, eatenus vt emtor conſequatur quanti ſua intereſt non emiſſe talem, *l. liberi hominis, 70. & l. & liberi, 3. & l. 4. & l. ſed Celſus, 6. de contrahend. emtion.* quod pertinet autem ad liberum venditum corruit, eo quod pretio res vendita æſtimatur legitime in emtione, *l. 1. de contrahend. emtion. P.* libertas autem inæſtimabilis eſt, *l. libertas, de regulis iuris, cum ſimilib. ibi nota.* vt & liber homo, *l. 1. §. ſed cum homo, de iis qui deiecer. P.* Qui tamen, ſi ſeipſum vendi patiatur, maior viginti annis, *l. ſi miniſterium, de liber. cauſſ.* ad pretium participandum, *l. non ideo, eod. titul. de liber. cauſſ.* ſciens conditionem ſuam liberam, *l. ſi quis ſciens, §. liberis, de liberal. cau. P.* ignorante emtore, priuatur libertate, & vt ſeruus perpetuæ mancipatur ex illa venditione ſeruituti, ſine ſpe redeundi ad libertatem, *§. ſerui autem aut naſcuntur, de iure perſonarum, l. & ſeruorum, & l. homo liber, de ſtat. homin. Hermogen. l. cum pacto, 40. de liberal. cauſſ. libr. 40. P. titul. 12.* velut indignus qui abuſus eadem ita ſordide, *ca. priuilegium, 11. quæſt. 3.* vt neque proximi eius qui hoc admiſit, quamuis, ignominia ſeruitutis, labem illis inferat, reuocare poſſint libertatem officio iudicis, nec alio modo rei vindicationis remedio, *in l. tutelas, §. ſi libertate, de capit. diminution.* quod alioquin poſſent, ſi non interueniſſet pretii participatio, *l. 1. 2. 3. 4. & 5. de libera. cauſ. P. de rei vindication. P.* Locuti autem nos ſumus de plagiariis in criminibus proprio titulo, quocirca de illis nec verbum aliud adiiciam, ſed eo lectorem reiiciam.

2 ¶ Licuit aliquando iure ciuili, † patri filios vrgente neceſſitate famis vendere, conſeruata redimendi poteſtate, *l. 2. de patribus qui filios diſtrax. Cod. vide Azon. in Summa, de contrahend. emtion. C.* Et iure antiquiori ter vendere licebat, imo & occidere, quæ fuſe alibi tractauimus in effectibus patriæ poteſtatis, vbi ea videbis in perſonarum explanatione. Sed num matri tempore famis liceat quoque filium vendere, expeditum eſt non licere, *Hoſtienſ. in Summa, & fac. d. l. 2. de patri. qui fil. diſtrax. Cod.* quia nec tranſactione matris ſerui filii fiunt, *l. tranſactione matris, 26. Cod. de tranſact.* nec in iure conceſſum inuenitur, nec habent liberos in poteſtate, *§ fœminæ, de adop. l. nulla, de ſuis & legit. in P.*

3 ¶ Natura † quoque non patitur res diuinas, & ſacras venire in venditionis commercium, *l. ſacra loca, §. final. de rerum diuiſion. l. inter ſtipulantem, § ſacram rem de verborum obligation.* Qui emit Simoniacus, qui vendit Giezita dicitur, a duobus huius ſceleris auctoribus, Simone Mago, & Giezi, de quibus & de ſimonia copioſe dictum a nobis eſt in criminibus, inter crimina læſæ maieſtatis diuinæ, proprio titulo de ſimonia. Quare nec ſacerdotia, nec ſacramenta, nec imperium vendi poterunt: maxima enim ſunt dona Dei, ſacerdotium & imperium, illud diuinis miniſtrans, hoc humanis, *§ 1. quomodo oporteat epiſcop. & ceteros cler. & c. in Authent. cap. ex inſinuatione, de ſimo. l. ſi quemquam, 29. de epiſcop. & cleric. Cod.* Nemo ſanctorum reliquias diſtrahat, *l. 3. de ſacroſanct. eccleſ.* Et Gordianus ſtatuit, non ſolum ſacrarum, vel deſtinatarum religioni rerum venditionem nullam eſſe, verum etiam quoque eas ſcienter ementes & vendentes, reos eſſe læſæ religionis, *l. 1. de ſepul. violat. libr. 9. Cod. titu. 19.* Iuſgentium quippe ea nullius eſſe voluit, quæ ſacra, religioſa, Deove dicata ſunt, ſed diuini iuris, *§. nullius, de rerum diuiſion.* nec loca ſacra aut religioſa quaſi noſtra in rem actione peti poſſunt, *Paul. in l. in rem actio. 24. §. 1. de rei vindic.* Si tamen aliquod ſacrum modicum cum rebus prophanis veneat, non reſcinditur venditio, ſed pro eo quod per ſe non poterat vendi, agitur per conſequentiam ex vendito, *Vlpian. in l. hanc legem, 22. & l. in modicis, de contrahenda emtion. P.* Quædam enim ſpiritualia & religioſa per ſe ſeparatim vendi nequeunt, quæ tamen ex conſequentia in emtorem puri loci, vel rerum profanarum, per vniuerſitatem tranſeunt, *l. ad ſacra, 73. §. 1. de contrahend. emtion. P.* vt & ius patronatus eccleſiaſticum, quod cum per ſe vendibile non ſit, *c. quia clerici, c. 16. de iure patronat. ap. Greg.* tranſit tamen cum venditione vniuerſorum, *c. cum Bertoldus, de ſentent. & re iudicat. c. ex literis, de iure patron. c. cum ſtudium, eod. titu.* vt pleraque alia quæ per ſe inalienabilia ſunt, cum vniuerſitate tranſeunt, *l. quædam, de acquir. rerum domin. P. l. ſi mercedem, §. 1. de action. emt. l. ſi ſepulcrum, §. 1. de religioſ. Cod.*

¶ Ceſſabit † autem ratio prohibitionis, ſi res ſacra profana fi- 4
at: quod quamuis fieri non debeat, *l. in tantum, §. quod ſemel, de rerum diui. §. ſacra, eo. ap. Iuſtinia. c. quæ ſemel, 19. q. 3.* & ſemel Deo conſecratum, non debeat ad vſus hominum transferri, tamen aliquando contingere poſſe creditum eſt: vt ſi capiantur res ab hoſtibus, *l. cum loca, 36. de religio. & ſumt. func. P. can. paſtoralis, 7. q. 1. vide quæ diximus de modis extinctionis beneficiorum, in perſonis eccleſiaſticis, dum de beneficiis egimus,* conflatione, vel confractione vaſorum ſacrorum, *Authentica præterea, C. de ſacroſanct. eccleſiis,* ademtione ſacrorum, *vt ſi caput hominis ſepulti adimatur ſepulcro, l. cum in diuerſis, & l. antepen. de relig. & ſum. funer.* & euocatione, qua loca ſacra liberari a ſanctitate ſolent, & pura fiunt & profana, *l. ſacra loca §. ſacer, de rerum diuiſ. P.* Erant & apud antiquos conſtituti ſenes ad coemtiones ſacrorum faciendas, interimendorum ſacrorum gratia, vt ait Cicero *pro Murena.* ¶ Res
quæ ſunt † in publico vſu, vendi quoque non poſſunt, *§ fi. de em-* 5
*tio. apud Iuſtin. l. ſi in emtione, § comm. eod. P.* potiſſimum a ſingulis: quia ſingulorum non ſunt, *l. 1. § ea autem, de rerum diuiſ. P. cum ſimil.* ſed vniuerſorum. Quare P. Scipio Numantia deleta, cum domum reuerti decreuiſſet Iugurtham ſecreto monuit, vt potius publice quam priuatim, amicitiam populi Romani coleret, neve aliquibus largiri inſueſceret: periculoſe a paucis emi, quod multorum eſſet, *Salluſtius in principio belli Iugurthini.* Puniuit lex aliquando publicas res vendentes vltimo ſupplicio, *vide l. 3. & 4. quæ res vendi non poſſ. C.* verum illam legem emendauit Leo conſtitutione nouella 62. *tit.* περὶ τῆς κολάσεως τῶν τί ἀπεμπολησάντων τί δημοσίων ὑπάρχον, & ad quadrupli pœnam reduxit.

## De Venditione & Alienatione rerum temporalium eccleſiaſticarum prohibita. Cap. 8.

De non alienan. reb. eccleſiaſt. in Authen. collat. 2. tit. 1. Lib. 3. Decret. tit. 13. Lib. 3. Sexti, tit. 9. In Clement. Lib. 3. tit. 4. 12. q. 2. in decreto Gratiani.

1. & 2. *Eccleſiæ res immobiles, iure communi inalienabiles, & alienantium pœna eod.*
2 *Manus mortua eccleſia cur dicatur.*
*Collegiorum bona inalienabilia, eod.*
3. & ſeq. *Eccleſiæ res quibus concurrentibus, & quomodo alienari poſſunt.*
4. & 5. *Alienationis rerum eccleſiaſticarum cauſſa debet eſſe neceſſaria & vtilis.*
6 *Vtilitatis cauſſa alienata quando, & quomodo vtilitatem conſideratam habeant.*
7 *Redemtio captiuorum, & piæ cauſſæ permittunt eccleſiaſticarum rerum alienationem.*
8 *Reipublicæ ciuitatis, minorum, eccleſiæ rebus vendendis, eadem requiruntur ſolemnitas.*

Minorum res qua ſolemnitate & conſultatione vendantur, eod. & 10.
9 Tractatus præcedens alienationem rerum eccleſiaſticarum quid, & modus tractatus habendi.
10 Tractatum facientes de quibus conſultare debent.
11 Tractatus rerum eccleſiaſticarum vendendarum in quibus eccleſiis non fit.
12 Tractatus inſtrumentum quomodo confici debeat.
13 Ratificatio non prodeſt, quando conſenſus exigitur pro forma.
14.16.& 17. Eccleſiaſticis rebus vendendis exigitur præcedens inquiſitio vtilitatis & incommodi, & poſtea auctoritas ſuperioris.
15 Patroni conſenſus in vendendis rebus eccleſiaſticis neceſſarius.
18 Eccleſiaſticis rebus vendendis, ſolemnitates iure ciuili requiſitæ.
19 Eccleſiaſticæ res quæ vendi ſine ſolemnitate poſſunt.

1 RES temporales † immobiles, vel quæ pro immobilibus ha-
bentur, eccleſiis donatæ ad cultum diuinum exſequendum,
alienari aut vendi nequeunt regulari iure, c. nulli liceat, de reb. ec-
cleſ. non alien. l. iubemus, C. de ſacroſ. eccleſ. non a prælatis, nec ab i-
pſo ſummo pontifice, cano. non liceat Papæ, 12. q. 2. imo & ſi ipſi a-
lienauerint, poterunt iterum reuocare, c. ſi quis presbyterorum, de
reb. eccleſ. non alie. vt maritus prædium quod alienauit dotare, gl.
2 in §. 1. quib. aliena. non lic. in verb. interdicta. ¶ Et † idcirco voca-
mus manum mortuam eccleſiam: quia ſicuti mortui non alie-
nant, ſic & bona, quæ ad eam peruenerunt, ſunt inalienabilia, vt
notat Polydorus Vergilius lib. 17. hiſto. Anglicæ, in Edoardo, redit-
que res ad eccleſiam, nullo per eam etiam reſtituto pretio, c. 1. de
ſchiſmati. c. fina. de reb. eccleſ. non alien. Et qui emit retentione non
vtetur, aget tamen, ſi velit, contra venditorem pro repetitione
pretii: & in hoc punietur qui vendidit. Et hanc pœnam aliæ co-
mitantur: nempe depoſitio ab ordine, c. quicunque, in 1. 17. q. 4. ca.
diaconi, 12. q. 2. d. ca. ſi quis presbyterorum, & c. grauis, de reſtit. ſpoli-
at. ſuſpenſio, clem. vnic. de reb. eccleſ. non alien. Quibus additæ aliæ
ciuiles, de quibus in l. iubemus nulli, 14. C. de ſacroſancta eccleſ. Sed
& emtio ipſo iure irrita fit, d. c. ſine exceptione, & emtor idcirco
tenetur eccleſiæ perceptos fructus reſtituere, d. c. ſi quis presbyte-
rorum, & d. c. grauis, qui enim contrahit, lege prohibente con-
trahere, malæ fidei poſſeſſor fit, l. quemadmodum, de agric. & cen-
ſi lib. 11. C. Quare nec facit ſuos, quos percipit, fructus, l. cum fun-
dus, ſi certum pe. P. imo & pro ſacrilego habetur, can. omnes eccle-
ſiæ, 17. q. 4. & periuro, quod eccleſiæ præfectus, iurauerit ſe non a-
lienaturum vel imminuturum res ſuæ eccleſiæ, cap. prohibemus,
de cenſib. d. c. ſi quis presbyterorum. Quæ omnia extenduntur ad o-
mnes eccleſiarum præpoſitos, epiſcopos, abbates, curiones, vi-
carios, œconomos: ad hoſpitalium, monaſteriorum, leproſaria-
rum, curatores ſeu rectores, aut præfectos, & prædictorum lo-
corum, & aliorum piorum res, §. eos igitur, de non alienan. rebus ec-
cleſ. in authen. & collegiorum, & ad eorum œconomos, & colle-
giatos, Rebuffus, in repetition. can. ſine exceptione, num. 51. 12. q. 2.
Leo Cæſar rationem huius prohibitionis addit: ea enim, inquit,
quæ ad eccleſiæ iura pertinent, vel poſtea peruenerint, tanquam
ipſam ſacroſanctam eccleſiam, intacta conuenit cuſtodiri: vt ſi-
cut ipſa religionis & fidei mater perpetua eſt, ita iugiter patri-
monium eius perpetuum ſeruetur, leg. iubemus nulli, 14. de ſacro-
ſanct. eccle. C. Eccleſia nunquam moritur, ca. liberti eccleſiæ, 12. q. 2.
ca. cum veniſſent, de inſtit. & bona eccleſiæ, non perſonis ſingula-
ribus dantur: & caput eccleſiæ Chriſtus, cuius vices agit præla-
tus, cano. mulier, 33. q. 5. Quare bona eccleſiæ potius Dei ſunt, vt
Deo conſecrata, quam adminiſtrantium eadem. Proinde alia ra-
tione vetanda alienatio, quod ſacrilegium graue inde ſequatur,
ſubtrahendo alimenta illis qui Dei cultui deſeruiunt: cum ſan-
ctum ſit, altari miniſtrantem de altaris reditibus viuere, cap. ex-
ſtirpandæ, & cap. cum ſecundum apoſtolum, de præbend. c. cum ſit
Romana, de ſymonia, non alligabis os, &c. Deuteron. 25. ad Galat. cap.
6. D. Matthæi cap. 10. D. Marc. cap. 6. D. Lucæ 9. Poſtremo do-
minium rerum eccleſiæ penes Chriſtum dominum eſt: vſuarius
tantum eſt clericus eis præpoſitus, vel ad ſummum, vt ſibi vſur-
parunt, fructuarius, ca. cum ex eo, de elect. ca. expedit, 12. quæſt. 1. ca.
qui abſtulerit, 12. quæſt. 2. & vt de ſacerdotiis & rebus eorum non
poſſit diſponere, niſi quandiu vixerint, c. 1. 2. & c. cum in officiis, de
teſtament. c. 1. de pecu. cleric. authent. licentiam, de epiſcop. & cleric.
Et quamuis ex permiſſa licentia Gallica, innixa opinioni Ioan-
nis Andreæ in gloſſella ca. præſenti, de offic. ordinar. in 6. aduerſus
quam merito ſtat Panormitanus in c. 1. & fin. de pecul. cleric. & in
c. cum eſſes, de teſtamen. teſtentur de fructibus ſacerdotiorum cu-
riones & beneficiati: hoc tamen ſemper remanet veriſſimum,
ſaluam & intactam remanere debere rerum ſubſtantiam & pro-
prietatem eccleſiæ, quam contemerare non poteſt vſufructua-
rius, l. 1. de vſufruct. P. §. 1. eo. tit. ap. Iuſtinia. cum hic adhuc præpo-
ſitus eccleſiæ minus iuris habeat vſufructuario, ſi onus ſuum ex-
ſequatur, vt ſit procurator tantum, in ſuperfluis victui ſuo, pau-
perum, c. aurum, 12. q. 2. vnde nec alienare res eccleſiaſticas po-
teſt, ſicuti nec procurator alienat eas res, quarum habet admini-
ſtrationem, in l. procurator tutorum, de procurat. P. ¶ Ceterum per-
mittunt † iura, quæ prohibuerunt venditionem & alienatio- 3
nem rerum eccleſiaſticarum, certis ex cauſſis, certave adhibita
forma, eaſdem diſtrahi, interuenientibus & concurrentibus
quinque periſtaſibus. 1. cauſſa legitima alienandi, 2. tractatu ca-
pituli, & 3. conſenſu interueniente eorum, qui capitulum faci-
unt, vel clericorum deſeruientium ei eccleſiæ, cuius res alienan-
dæ erunt: item 4. accedente inſtrumento alienationis, cum ſub-
ſcriptione canonicorum vel clericorum: & 5. adhibita licentia
ſeu conſenſu epiſcopi, in c. ſine exceptione, 12. q. 2. clem. cum ti. 1. de reb.
eccleſ. non alien. in clem. c. 1. eod. titu. in 6. §. 1. de eccleſiaſticar. rerum
alien. collat. 5. tit. 1. ¶ Cauſſa † alienandi debet adeſſe vel neceſſa- 4
ria, vel vtilis eccleſiæ, c. ſicut, §. fin. 12. q. 2. Neceſſitas interdum ra-
tione qualitatis perſonarum eccleſiaſticarum cogit alienare &
vendere: veluti ſi res immobilis ſacris ſodalitiis mendicantium
in Gallia donetur: non enim licet in hoc regno illis immobilia
poſſidere, Bart. tractat. minorit. 1. parte, Bart. Bal. Areti. l. apud Iu-
lianum, §. fi. de lega. 1. nec alia præter peram & eleemoſynas, a qui-
bus nomen & appellationem retinent mendicantium. Idcirco
relicta immobilia intra annum & diem coguntur vendere, &
pretium recipiunt, vt fiebat olim naſcente eccleſia, Actorum 4.
Quamobrem & iſti hæc ſine ſolemnitate rerum eccleſiarum a-
liarum vendunt, glo. in c. vnic. in verb. domum, de relig. domi. in 6.
Bal. in authen. ſi qua mulier. num. 4. de ſacroſ. eccl. C. Quod & rece-
ptum eſt, quando eccleſia, cui relictum eſt, grauata eſt, de alie-
nando & vendendo relicto, quo caſu a ſolemnitate ſeruanda im-
munis eſt, Lapus alleg. 26. Hippolytus de Mar. ſing. 132. Iuſtiſſimam
quoq; alienandi neceſſitatem pbet debitum, & creditorũ æs q̃
debet eccleſia, c. 1. de pig. ca. hoc ius 10. q. 2. auth. hoc ius porrectum, de
ſacroſ. eccl. §. hoc igitur, de non alien. aut permut. reb. eccleſ. collat. 2. tit.
1. Sic & alicubi ſcriptũ, §. hoc etiã, de alienatione & emphyt. in auth.
collat. 9. tit. 3. ſi debitũ vrget in rebus eccleſiaſticis immobilibus,
aliunde q̃ ex liberalitate regis prouenientibus, ſi ex mobilib. ſol-
ui non poſſit, nec ex fructibus immobiliũ, vendantur, ſed pretiũ
in illud conuertetur, & ante pponetur per viginti dies, rem ec-
cleſiæ eſſe venalem, vt plus offerenti detur: & ſi nõ inueniat em-
torem, in ſolutũ dabitur æſtimatione diſtricte facta. ¶ Cauſſa vti-
litatis † eccleſiæ in alienatione eſſe poteſt: ſi res penes eccleſiam 5
exſiſtens ſterilis ſit, plus ſumtuum q̃ prouentuum habens, quare
& vendi & tradi culturę cauſſa ſub annuo cenſu poſſunt, c. ad au-
res, 7. de reb. eccleſ. non alien. Sic minus vtiles, vtilioribus ex cõſen-
ſu quorũ intereſt permutari ab eccleſia poſſunt, c. vt ſuper, §. fi. eo.
ti. de reb. eccle. non alie. vt ſemper vtili cauſſa, vt pſpiciatur eccleſię
in melius, c. cum apoſtolica, 7. & c. tua nuper, 8. de his quæ fiunt a præ-
la. ſine conſen. capitu. d. c. ſine exceptione, 12. q. 2. Sufficit autem vt tũ
tẽporis cum fit alienatio, videatur ea profutura eccleſiæ iis quib.
poteſtas alienandi forma ſeruata conceditur, etſi re ipſa nõ pro-
ſit, l. tutor qui, 18. §. competit, de admin. tut. ¶ Atq; vbi † forma alie- 6
nandi ſeruata fuerit, & decretum ſuperioris interpoſitum, præ-
ſumitur alienatio facta ſemper in vtilitatẽ eccleſiæ, Bald. in §. 1. in
verſ. quærit, qui feud. dare poſſ. in vſib. feu. Potiſſimum ſi iam emtor
longo tempore poſſederit, ca. noſcitur, de his quæ fiunt a præla. ſine
conſen. capit. alioquin non præſumitur, & debet vtilitas exprimi
in venditione, vel alio modo probari, c. 1. iuncta gl. & ibi Domini.
de Sanct. Gem. de reb. eccleſiæ non alien. in 6. Guid. Pap. qu. 151. Quin
& ſolemnibus adhibitis, ſi probet eccleſia ſe læſam, reſtituetur,
c. 1. de in integ. reſtit. not. glo. in d. c. apoſtolica, in verb. profuturum, de
his quæ fiunt a præla. &c. Verumtamen in iudicio num læſio ad-
fuerit, habebitur ratio qualitatis rei, ſecundum tempus contra-
ctus, neque enim ſi ope & induſtria & labore emtoris, vel tem-
poris incremento, melior fuerit facta res & vtilior, conſidera-
bitur, c. cum dilecti, de emtio. l. ex mille, 65. §. 1. de euictio. l. fi. C. de al-
luui. l. fi. de omni agro deſerto, lib. 11. C. Vt contra, ſi tempore contra-
ctus res alienata fertilior eſſet, & incuria emtoris ſterilis facta
fuerit, emtor damnum reſarciet eccleſiæ, c. ad noſtram, de rebus
eccle. non alie. l. ſi voluntate, de reſcind. vend. C. Subinde res magis
damnoſa, quam vtilis eccleſiæ, alienari debet, c. non licet, & c. ſine
exceptione, 12. q. 2. Sicuti enim alienatio rerum eccleſiæ interdici-
tur.

tur, ita & prohibetur ne qua ſterilis ei detur, *auth. ſicut alienatio, de ſacroſ. eccleſ. §. ſicut autem. de non alienand. aut permutan. reb. eccleſ. in authen.* Quamobrem ædes quæ ruinam minantur, quas
non poteſt reficere eccleſia, in perpetuum emphytheoſim dare
poteſt, *auth. ſi quas ruinas, de ſacroſanct. eccleſ. C. §. ſi vero quadam*
7 *ſint, de alien. & emphytheo. in auth col. 9. tit. 3.* ¶ Recenſenda † inter
cauſſas iuſtas eſt pia cauſſa, *l. ſancimus, C. de epiſco. & cler. c. caſellas, 10. q. 2.* vt pro redemtione captiuorum parrochianorum, res
parrochiæ diſtrahi poſſint, *c. ſicut omnino, 12. q. 2. & c. ſacris, eod* &
pro alendis fame pereuntibus pauperibus, *c. aurum, & c. apoſtolices 12. q. 2.* Adduntur & nunc cauſſæ aliæ, vt bellorum in hæreticos ſumtus, releuatio æris principis, & ſimiles, quibus Gallia
8 noſtra premitur. ¶ In † cauſſæ legitimæ vtilis & neceſſariæ conſideratione, vt in ſolemnitate alienationis ſeruanda, affines ſibi
ſunt, eccleſia, reſpublica, *c. quid ergo, 23. q. 4.* & minores, *gl. 1. in l. 1. de ſenten. aduerſus fiſc. latis retract. lib. 10. Cod. tit 9 leg Imperatores, de re iudic. capit. 1. & 2. de reſtitutio. in integrum.* Quippe quod in
rebus immobilibus reipublicæ, vel ciuitatis diſtrahendis commodum & vtilitas eius inſpicitur, & vt pretium ex venditione
conflatum in eius vtilitatem conuertatur, *l. fi. de venden. reb. ciuitat. lib. 11. C. tit. 31.* In rebus fiſci diſtrahendis, ordo & ſolemnitas
hæc, *de qua in gl. in l. . . in verb. omni ordine, de fide inſtr. & iure haſtæ fiſc. lib.* 10. C. vt debitum ſubſit, ſit ceſſatum in ſolutione, fiat
interpellatio coram, *l. 2. & 3. ſi propter pub. penſitatio. C.* iudice, fiat
ſubhaſtatio, *l. 12. & ſi. de fide inſtrument. lib.* 10 C. res proſcribatur,
& libelli proponantur publice per viginti dies, rem venalem eſſe declarantes, *iuſta authentic. hoc ius porrectum, de ſacroſanct. eccleſ.* iuſto pretio vendatur, *l. 2. de fid. inſtrument. & iure haſtæ fiſc. lib. 10. C.* & procurator fiſci adſit, *l. 1. eod. de fide inſtrum. lib. 10 C.* In
minorum rebus, ferme eadem veniunt conſideranda, *iuxta formam l. magis puto §. non paſſim, de rebus eorum qui ſub tutel. vel cu-*
9 *ra ſunt, . . . & titul. Cod. de prædiis & aliis rebus minor.* ¶ Sed † hactenus de cauſſa vendendi dictum ſit, dicamus pauca de tractatu
capituli & clericorum, qui interuenire debet in eccleſiæ rebus,
*dict. cap. cum apoſtolica, & cap. tua nuper, de his quæ fiunt a prælat. ſine conſen. ca.* vendendis. Eo quod in negotio quolibet vocandi
ſunt illi quorum intereſt, *l. de vnoquoque, de re iudi. P.* Tractatus
eſt conſultatio de facienda alienatione, & num ea expediat, &
quæ res potius alienari debeant: & proinde tractatum præcedit
vocatio ſeu congregatio capituli, vel clericorum, & tractatus
eorum conſenſum, *vt conſtat ex ordine literæ canon. ſine exceptione.* Conuocatur capitulum huius rei cauſſa ad ſonitum campanæ, vel modo alio, quo ſolet conuocari in aliis capitularibus negotiis. Et quemadmodum rector ciuitatis vel magiſtratus, ius
cogendi concilium habent, & conuocandi decuriones in curiam, vt vocati ad certa munera nominent, *l. 2. de decurion. libr. 10. Cod. titul. 31.* ſic conuocabit epiſcopus vel maior capitulum. Conuocatos ſacramentum illud præſtare non erit alienum a ſolemnitate legitima, quod præſtare ſolent ſinguli in vendendis rebus ciuitatis in prouinciis curiales, habitatores, & poſſeſſores
rerum, ſacroſanctis tactis Euangeliis: videlicet ſe ſententiam
quam putent vtiliorem patriæ ſuæ dicturos: itaque dicere debent, vt poſtea decreti venditionis recitatione in prouinciali iudicio interueniente, emtor competentem poſſit habere cautelam, & ita contractus ſit ſtabilis, *l. final. de vendend. reb. ciuitat. lib. 11. Cod.* Capitulo, vniuerſitate vel collegio legitime congregatis per eum qui eis præeſt, vel alium habentem poteſtatem, qui
venerint vel interfuerint, etiamſi maiorem non faciant numerum, vel partem totius, ſed longe minorem, poſſunt explicare
ea quæ propoſita tunc ſunt, *Innoc. in c. 2. de oper. noui nuntiat. & in c. 1. de maio. & obed. argum. ca. cum nobis, de elect.* abſurdum enim
eſt in numero computare eos, qui vocati noluerunt venire, *dict. cap. cum nobis, & clemen. quod circa, de elect. ap. Clement.* Aliter ſi
per ſe non per alium conuocetur vniuerſitas vel collegium,
tunc exigitur ad auctoritatem conſtituendam decretorum, ſaltem duas partes vniuerſitatis conuenire in vnum, *l. nominatio-*
10 *num, de decurionib. libr. 10. C.* ¶ Inquiritur † autem in hoc tractatu
inter conuenientes, quod in bonis minoris alienandis conſultatur: an aliunde pecunia quam ex venditione ad extenuandum æs
alienum poſſit expediri: num pecunia ſit eccleſiæ in numerato,
vel in nominibus quæ conueniri poſſint, an in fructibus conditis, an etiam in redituum aut obuentorum ſpe: an res aliæ ſint
præter prædia, quarum pretio ſatisfieri poſſit: quibus ceſſantibus prætor permittit, ſi modo vrgeat creditor, & vſurarum modus, æſtimabitque an vendere potius aut obligare permittat, ne
ve poſſeſſio magna ob modicum æs alienum diſtrahatur *l. magis*
*puto, 15. §. non paſſim, de prædiis & aliis reb. minor. P.* ¶ Quod † ſi 11
eccleſia cuius res alienandæ ſunt, non habeat conuentum clericorum vel capituli, rector eius non adhibebit tractatum ſeu
conſultationem hanc, ſed ſufficit ſi adhibeat conſenſum prælati
ſui, *clemen. 1. de reb. eccleſ. non alien. c. ceterum. de donat. Gemma. conſil. 48. incip. Presbyter, col. 2.* Niſi eccleſiæ cathedralis ſedes vacaret: quia tunc, defenſore ſeu œconomo ei dato, ſufficit conſenſus capituli eius, & tractatus, *c. 1. de reb. eccleſ. non alien. in 6.*
¶ Tractatu † habito, excuſſis omnibus quę deliberationem me- 12
reri viſa ſunt, inſtrumentum horum omnium geſtorum confici
debet, formula hac communi: *Epiſcopus vel Abbas, vel Prior, vel Præpoſitus talis, congregato capitulo ad ſonum campanæ, vel alio modo ſolito, præſentibus P. Pau. &c. canonicis talis: canonicus, &c propoſuit debitum vrgens, &c. Viſum eſt expedire capitulo talem rem vendi, minus vtilem, &c.* ¶ Hoc † modo conſenſus exprimitur capi- 13
tuli, vel clericorum neceſſarius, *c. cum vos, de his quæ fiunt a præl. ſine conſen. cap.* & exprimendus in conuocatione illa, non enim
poſt alienationem prodeſt ratificatio. Videlicet quod conſenſus
requiratur pro modo ſolemnitatis, & ita ſit pro forma, & ideo
niſi is in actu interueniat, actus nullus eſt. ¶ Tradunt † tamen, 14
*Bart. in l. Gallus Aquilius, in princ. de liber. & poſthu. Imo in d. c. cum vos*, non exigi conſenſum inferioris prælati, vel capituli in alienatione, ſi ei ſuam auctoritatem ſummus pontifex impertiat, *gl. & interpretes in c. potuit, locat. Decius conſ. 142.* nam æquiparatur
ea ſolemnitatibus, *l. 1. quando decret. op. non eſt, C.* debet tamen
præcedere inquiſitio facta per delegatum ſeu commiſſarium
huic negotio datum a ſum. Pontif. num expediat eccleſiæ illam
alienationem fieri, eiuſq; rei, num ea minus vtilis: alioquin inutiliter venderetur, *c. non liceat Papæ, 12. q. 2.* Apparere deinceps
debet de clericorũ ſeu canonicorum cõſenſu, qui interfuerunt:
quod fiet ſi nomina eorum inſtrumento conſultationis inſcribãtur, cui & ſe ſubſcribere debent, *c. tua nuper, de his quæ fiunt a præla. ſine conſen. cap.* Sic enim hic, vt in aliis ſubſcriptione fraudes
vitabuntur, *l. pen. de diuer. offi. li. 12. C. l. ſacri afflatus, de diuer. reſcr. C.*
Hodie tamen clerici, aut canonici, aut collegiati non ſubſcribũt,
ſed omnibus præſentibus, tabellio publicus, vel illorum ſcriba
inſtrumenta capitularia, & alienationis ſcribit & perlegit: & ſe
ſubſcribit fide publica, hæcq; forma pro ſingulorũ habetur ſubſcriptione, *Soc. conſ. 15. incip. Viſus, col. 14. 1. vol. Rebuff. in repet. c. ſine exceptione, 12. q. nu. 17.* ¶ Verum † cum iſtis nunq̃ omittendus 15
conſenſus patroni, ſi agatur de alienatione rei patronatæ, *Decius conſ. 174. in fi. gl. in c. conſtitutum, 16. q. 3. Cardin. in cle. 1. col. 2. de decimis*, quia eius maxime intereſt res eccleſiæ conſeruari, *c. filiis, & ca. quicunque 16. q. 7.* ¶ His † omnibus poſtremo loco accedere 16
debere epiſcopi proprii vel ſuperioris auctoritatem, licentiã aut
conſenſum *authent. hoc ius porrectum, de ſacroſanctis eccleſ. clem. fi. in verb. conſentiente de reb. eccl. non alie. ap. Clement.* Et ſi eccleſia
illa de cuius rebus agitur exemta ſit priuilegio a poteſtate epiſcopi loci, ad ſummũ pontif. recurritur, *gl. in d. cle. 1. in ver. proprii, de reb. eccl. non ali.* Si tamen eccleſia, quæ eximitur a ſui diœceſani
poteſtate, ſubiiciatur abbati cuidã vel alteri ſuperiori, vt quibuſdam aſceteriis & monaſteriis conceſſum eſt, illi, veluti etiam in
ſacris ſodalitiis mendicantium ordinis minorum vel prędicatorum, miniſtri, generaleſq; & alii qui prope epiſcopalem habent
in ſuos iuriſdictionem, conſulendi ſunt, vt conſenſum & robur
alienationi præbeant, *Barbat. conſ. 40. incip. præclari, col. 3. vol. 1. & conſ. 14. incip. clementiſſimi col. 1. vol. 2. Rebuff. in d. can. ſine exceptione. 12. q. 2. nu. 87.* videlicet expreſſe *l. negotium de neg. geſt. C.* adhibita cognitione antea cauſſæ, ſine qua conſenſus vel auctoritas
ſuperioris perperam impetratur. Hic, *Gemma. conſ. 48. incip. presbyteror. col. 3.* quemadmodum de auctoritate prætoris interponenda tranſactioni, de alimentis reſponſum eſt vt ſi prætor aditus ſine cauſſæ cognitione tranſigi permiſerit, tranſactio nullius
erit momenti. Prætori enim ea res quærenda commiſſa eſt, non
negligenda neq; donanda. Sed etſi de omnibus non inquiſierit,
quæ oratio (Marci Cæſa. ſcilicet) mandat, hoc eſt de cauſſa, de
modis, de perſonis tranſigentium; dicendum eſt: quamuis de
quibuſdam quæſierit, tranſactionem eſſe irritam, *l. cum hi § ſi prætor aditus, de tranſact. P.* Et cum de rebus minorum vendendis
agitur, non ſufficit adire prætorem libello, niſi apud acta vendendi deferatur, & probetur, *l. minorum, 6. de præd. & aliis reb. minorũ, C.* Nec procurator Cæſaris res Cęſaris conſenſu ſuo ſolo
transfert, cũ illæ cõmiſſæ illi ſint diligẽter tractãdæ, *l. 1. de offi. proc. Caſ. li. 1. P. t. . . 9* ¶ Si † epiſcopus velit res ſuæ eccleſiæ alienare . . .

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dem obſeruare debet, & petere auctoritatem vel a ſuo archiepiſcopo, vel a ſummo pontifice, ſecundum ſententiam quorundam, *Bald. Ang. in authent. hoc ius porrectum, de ſacroſ. eccle. gl. in ca. 1. in verb. defenſore, de reb. eccleſ. non alien. in 6.* Ioannes tamen Andreas *in d. c. 1. de reb. eccle. non alie.* diſtinguit, an epiſcopus iurauerit ſe non alienaturum, vt tunc requiratur ſuperioris auctoritas: aut non iurauerit, vt non requiratur. Et hoc ipſum probant Innocentius & Hoſtienſis *in c. 1. de his quæ fiunt a præla. ſine conſenſu cap.* & ſecundum horum ſententiam iudicatum tradit Guido Pap. *qu. 149.* Cuius autem epiſcopi conſenſus ſit adhibendus, quando eccleſia, & eius præfectus & clerici ſunt vnius diœceſeos, & res alienanda alterius, pugnant interpretes. Et videtur Authentic. hoc ius porrectum, de ſacroſancta eccleſia C. decidere, ſequendam auctoritatem eius cui perſonæ ſubiiciuntur non epiſcopi in cuius ditione res ſita, ex illis verbis, accedente conſenſu ordinatoris & maioris partis ibidem ſeruientium, &c. Et in eam authenticam notat Baldus *col. 4.* & alii alibi, *gl. in c. ea enim huiuſmodi, in verb. duos, 10. q. 2. facit c. fi. 16. q. 5. Felin. in c. dilectus, 2. col. 6. verſ. 7. de reſc.* In contraria tamen ſententia alii, & adhibendum conſenſum epiſcopi, cui res ſubeſt, defendunt, *glo. in can. in venditionib. 17. q. 4. facit l. ſtipendium, de prædi. & aliis reb. minor. C. Roma. conſ. 250.* Tutius autem & conſultius facturos qui diſtra-
18 hunt ego arbitror, ſi vtriuſque adhibeant. ¶ Et † hæc dicta cenſenda ſunt, de ſolemnitatibus iure pontificio requiſitis: ſiquidem ex iure ciuili aliæ exiguntur, quæ referuntur in dicta authentica, hoc ius porrectum, videlicet, vt contractus ſcriptis fiat, & ſequatur ſubhaſtatio, antequam vendatur res, iuret venditor, nihil in præiudicium eccleſiæ ſe facturum, fiat vendendorum proſcriptio publice libellis per viginti dies ante propoſitis: quæ tamen omnia non exigi tradunt Cynus, Bartolus, Baldus, Angelus, *in d. authen. hoc ius porrec.* Qui nec faceſſere aiunt, quod dicta authentica ſit inter decreta per Gratianum translata, nempe, quod dicant ideo translatam, non vt ius faceret, ſed vt oſtenderetur ſolicitudo Imperatorum in defendendis rebus eccleſiaſticis, quod & alii admittunt, *gl. & Innoc. in ca. dudum, de reb. eccleſ. non alie. Guid. Pap. q. 149.* Imo Gofredus ait, in rebus eccleſiæ alienandis ſufficere conſenſum epiſcopi & capituli, *Gofredus in*
19 *Summa. tit. de reb. eccleſ. non alien.* ¶ Et † proculdubio in rebus pene nullius momenti, vel minimæ vtilitatis, remittuntur in alienatione ſolemnitates, *c. ſine exceptione, & c. ſequen. & c. fugitiuum, 12. q. 2. Gui. Pap. q. 156. c. vt ſuper, §. fi. de reb. eccleſ. non alien. in ſex. argum. l. lex quæ tutores, de adminiſtr. tut. C. ſic intellig. cap. terrulas, 12. q. 2.* at in aliis quæ etiam modicæ vtilitatis ſunt, non ſunt omittendæ, præcipue cauſſa neceſſitatis, ſine qua infirma alienatio, & inutilis, etiam rerum exiguarum, *ca. caſellas, 10. q. 2. ca. quicunque, 17. q. 4.* Remittuntur etiam ſolemnitates in rebus quæ ſeruando nequeunt ab interitu vindicari, *gl. in Summ. 12. q. 2. c. 2. de reb. eccleſ. non alie. in ſex. arg. d. l. lex quæ tutores,* item & in diſtrahendis rebus acquirendis, & quæ nondum quæſitæ ſunt, quales quæ præſcribuntur, ante præſcriptionem completam, *c. fin. de præſcrip. per l. ſi ſponſus, §. 1. de donat. inter vir. & vxor.* res legatæ non traditæ. Subinde ſolutæ a ſolemnitatibus res alienandæ, ſi conſuetudo loci remittat, aut illis deroget, *ca. ceterum, de donat. gl. in ca. abbatibus, 12. q. 2.* ſi bona eccleſiaſtica, quæ ſolent diſtrahi vel infeudari, redierint ad eccleſiam, *c. vt ſuper, de reb. eccleſ. non alien.* ſi liquido conſtet in vtilitatem eccleſiæ factam alienationem, *glo. in l. 2. de acceptilat. in P. l. 1. qui legitimam perſo. ſtandi in iudic. non haberent, C. l. acta, de re iudic. P. l. non eo minus, C. de procur. Bal. in l. cum ii, §. cauſſa, de tranſact. P. l. quicunque, de bon. quæ liber. C. arg. l. quod fauore, C. de legib.* Quibus addere poteris alios caſus, quos ex profeſſo pertractat Rebuffus *in compendio alienationis rerum eccleſiaſticarum, nu. 24. & ſeq.*

## De Rebus in titulum clericis ad ordines ſacros promotis, num vendi poſſint, & quomodo. Cap. 9.

1 *Ordinandus in clero nemo ſine titulo.*
2 *Titulus clericalis, vel presbyteralis num vendi poſſit.*

1 CVm † exploratum ſit, iure cautum fuiſſe antiquo, clericos non potuiſſe ordinari vel promoueri in ſacrum ordinem, niſi beneficio ſeu titulo aliquo eccleſiaſtico ab epiſcopo, vt digni tam ſacro cœtu, donati fuiſſent, vnde commode viuere poſſent, *ca. 1. & 2. 70. diſt. c. cum ſecundum apoſtolum, ca. 16. de præben.* placuit optima ratione etiam poſtea, vt epiſcopus eos in ordines ſacros non ſcriberet, quibus, vel ſacerdotium ſeu aliud beneficium non eſſet, vel niſi ſufficiens haberent patrimonium, quo ali poſſent, quod tituli loco epiſcopo proferrent: aut ſi ordinaſſet inopes, de ſuo aleret, *ca. 2. & 4. de præb. ap. Greg. & ca. tuis quæſtioni. c. 23. eo. tit.* ne paupertas ſeu mendicitas in opprobrium ordinis clericalis conuertatur, *c. diaconi, 93. diſt.* ¶ Quamobrem
vtiliter † quæritur, num clericus bona, quæ a ſeipſo vel ab alio e- 2
ius nomine ſuppoſita ſunt, titulo clericali, poſſit alienare ſeu vendere. In qua ordinarius Decretalium interpres, hoc patrimonium vendi poſſe abſolute reſpondit, *gl. in d. c. tuis quæſtionib. ad verb. ſuſtentare.* Quod qui pretium habet, rem habere videatur, *Caius in l. quia qui pretio, 46. de vſufruct.* poſſe & donare: quemadmodum vero titulo, ſacerdotii videlicet, ſeu beneficio eccleſiaſtico renuntiari poteſt. Hanc tamen quæſtionem latius Panormitanus tractat, & inquirit, *in d. c. tuis, nu. 8.* num & in hac alienatione huius tituli, exiguntur ſolemnitates requiſitæ in diſtrahendis rebus eccleſiaſticis, *quæ ponuntur in ead. ſine exceptione, 12. q. 2.* de quibus proximo capite diximus. In quo Ioannes & Gofredus ſequuntur Vincentii opinionem, & requiri, quamuis illis non inhæreat ius ſpirituale, & quamuis prohibitio non extendatur vltra vitam clerici, & poſt mortem eius, res titulares liberæ, vt reliquæ, dominis ſint. Hoſtienſis autem diſtinguit, an patrimonium expreſſe in titulum aſſignatum ſit, & tunc veram eſſe ſententiam Vincentii, *de qua in d. gl. c. tuis quæſtionib.* non habita ratione quod pretium ſuccedat loco rei, quia facilius conſumitur pretium quam res immobilis: cum & pecunia ſit inter res, quæ ſeruando conſeruari nequeunt, *l. 1. §. fuit quæſitum, ad Trebellian.* At ſi clericus ſine determinatione tituli fuit ordinatus, exiſtimat clericum bona ſua & patrimonium poſſe vendere. Addit inſuper, videri ſibi opinionem meliorem Innocentii *in c. cum epiſcopus, de præben.* vt in venditione patrimonii aſſignati etiam in titulum, non requiratur conſenſus epiſcopi. Nec obeſſe quod eo vendito, nihil habituri ſint clerici vnde viuant: quia quod ad epiſcopum pertinet, ſufficit ſi tempore ordinationis haberent ſufficiens patrimonium, *facit l. 2. §. ſi eo tempore, de adminiſtr. rer. ad ciuita. perti. P.* & quod clericum tangit, non improbari in clericis voluntariam paupertatem, imo illis neceſſariam, *Actorum 1. & 2.* Imola quoque tradit *in d. c. tuis, num. 8.* patrimonium expreſſe in titulum aſſignatum non poſſe vendi ſimpliciter ſine conſenſu epiſcopi, vendi autem poſſe exemplo fundi dotalis, & tranſire in heredes, *vt in leg. 1. de fundo dota.* Ioannes Andreas etiam id tuetur, exemplo fundi dotalis. Quare & iiſdem caſibus quibus fundus dotalis alienari poſſe conuenit inter omnes, & hunc titulum alienari poſſe conſtabit. Item pro oneribus eccleſiæ adminiſtratæ. Et nunc in Gallia conſtitutione regia, lata in Aurelianenſibus comitiis, cautum eſt, hæc bona titularia clericorum, inalienabilia eſſe, & reditum eorum: neque obligationibus vel hypothecis obnoxia a tempore promotionis presbyteri, *in conſtitut. reg. Aurel. hab. artic. 12.*

## De rerum alienarum venditione. Cap. 10.

1 *Principis ius, de rebus ſubditorum diſponere.*
2 *Vendi non poteſt res Aliena in præiudicium domini.*
2. & 3. *Alienæ rei venditio in quantum, & quando valet.*
3 *Emens rem alienam ſcienter, non agit contra vendentem.*
4 *Præſens alienationi rei ſuæ, nec contradicens, conſentire videtur.*
5 *Aliena mobilia vendens furtum committit.*
6 *Furtiuam rem in publico loco emens, an teneatur reſtituere, non reſtituto pretio.*

IVs † proprie Imperatoris eſt, res aliorum pro nutu & arbitrio 1
diſtrahere: vel nullo, *l. Lucius, de euict. in P.* vel modico dato pretio, *l. ita verberatus, §. 1. de rei ven. in P.* Is enim & populi cauſſam ſeu publicam agit, *l. Barbarius, de offic. præt. § ſed & quod principi, de iure nat. cum ſimil.* quæ præferendo priuatorum commodis, *l. vtilitas, de primipil. li. 12. C. l. actione, §. Labeo, pro ſoc. P. cum ſimil.* Atque huius auctoritate, & dominia rerum diſtributa ſingulis, & conſeruata, *ca. quo iure, 8. diſt.* Vnde & dominus omnium dicitur, & pro ſententia ſua diſponit cuiuſque, *l. bene a Zenone, de quadrien. præſc. C.* At priuati hoc iure non vtuntur. Quam-
obrem res aliena ſiue mobilis aut immobilis ſit, † vendi non po- 2
teſt, inſcio & inuito domino, in præiudicium eiuſdem, quanquam in præiudicium venditoris ſuſtineatur, vt obligatione & actione ex emto teneatur emtori ignoranti alienam, damnum omne reſarcire, *l. rem alienam, de contrah. em. P. l. nemo, de reb. alie. non ali. C.* tenetur quippe de euictione venditor pro re immobili proculdubio, *l. ſi fundum, C. de euict.* vſque adeo vt ſi is qui vendidit

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

didit alienam, efficiatur aliquo modo rei venditæ dominus, firmetur venditio omnino, *l cum vir, de vſur. l. ſi a Titio, de rei vindic. l. cum mater, C. eo.* Scribit Gellius lib. 11. c. 18. colonum, fundum quem a domino conduxerat vendentem, furti nomine
3 condemnatum ¶ Si † tamen venditore ignorante rem alienam, emtor ſciens prudenſque eam emerit, nullo modo experiri poterit aduerſus venditorem, quanti ſua interſit, nec meliorationum aut refectionis nomine, vt malæfidei poſſeſſor, *l. cum querebatur, C. unde vi, l. fina. §. emtor, comm. de lega. C. vide de his quæſtionib. Fabia. de monte Sauino, in tracta. de emt. q. 4.* niſi emtor ſtipulatione ſibi proſpexerit, *d. l ſi fundum ſciens, C. de euict.* Quod ſi vterque ſciens rem alienam contraxerit, venditor tenetur pretium reſtituere, ſecundum Bart. *in l. continuus, §. cum quis, de verb. obli. & in l. cum lex occurrit, de fideiuſſ. in P.* ſecundum alios nequaquam: niſi is qui ſciens alienam emit, cautionem acceperit de euictione, quo caſu purgata videtur mala fides, *arg. d. l. ſi fundum, de euict. C. a contrario ſenſu, Cynus in l. ſi fratres C. com. vtriuſ. iudicii, C. vt in l quemadmodum. de agric. & cenſit. lib. 11. C. tit. 47.* alioquin minime. Quia inprimis, qui mercatur rem alienam, cuius ſcit diſtractionem iure prohiberi, non emere ſe recte arbitratur, lege contrahere prohibente, nullo exſiſtente contractu, *l. non dubium, C. de legib. l. fi. C. de pact.* proinde ſoluens ſcienter indebitum, repetere non debet, *l. 1. de condict. indeb. P. l. cuius per errorem, de reg. iur.* quia donaſſe videtur, *l. Campanus, de oper. li. P.* Deinde cum vterque ſciat, rem alienam non eſſe in commercio illorum, mutuo ſe decipere videntur, nec valet venditio, *in l. dolum, 57. de contrah. emt. P. l. ſi in emtione, §. item ſi emtor, & ibi gl. eo. P.* & ita dolus dolo compenſabitur, *d. l. ſeruus, & l. ſi duo, de dolo,* vterque male in eo verſatus in aliena re ſtatuendo, *l. 1. C. de vſuca. pro emto.* Quare iniquum eſſet, emtorem ex ſua improbitate conſequi actionem, *l. itaque fullo, 12. de furt. in P. cum ſimil. ibi not.* & in pari cauſſa turpitudinis, melior eſt cauſſa poſſidentis, *l. ſi ſeruum, § ſequitur de verbo. oblig. P. l. 3. & 4. de condict. ob tur. cauſ. in P. cum ſimilib. ibi not.* Neque aliter tertio loco quis agit ad repetitionem pretii, quam ſi ignoranter deceptus fuerit, *§ fi. de contrah. em. l. ſi in emtione, §. item ſi emtor, eod. tit. P.* vt neque malæfidei poſſeſſor agat pro repetitione pretii, *l. 1. de præſcrip. 30. vel 40. ann. C.* Cuius generis eſt qui rem ſciens alienam emit, *d. l. cum quærebatur c. ſi. de præſcrip. c. qui contra iura, de reg. iur. in ſex. arg. a contrario ſenſu, l. a quolibet, 27. de contrah. emt. P.* Hoc tamen nullum incommodum adferre poteſt domino rei. Quia nemo vendere rem ſuam inuitus cogitur, *l. nec emere, de iure delib. C. l. inuitum, & l. dudum, C. de contrahen. emt. l inuitos, C. loca. l. ſicut ab initio, C. de actio. l. nec ab initio, C. de nupt.* cum liber quilibet ſit in rebus ſuis pertractandis, *l. nemo exterus, C. de iud. l. in re mandata, C. manda.*
4 ¶ Obſeruandum autem, † dominum qui viderit rem ſuam ab alio vendi, non repugnantem, conſentire videri, vt ſcribit Conſtantinus Harmenopulus *lib. 3. c. 3. vbi de tutore agit.* Qui tacet, non vtique conſentit: ſed tamen verum eſt, eum non negare, *l. qui tacet, 185. de reg. iu. l. item quæritur, §. qui impleto, loca. P.* Et conſenſiſſe videtur pater filii decurionatui, ſi præſens nominationi eius non contradixit, *l. 2. ad municipales. lib. 50. P. tit. 1 facit l. quidam, 12. de euictio. P.* Quando videlicet potuit reclamare & aduerſari venditioni non aliter, *l. ſæpe conſtitutum, 63. §. cur autem de re iud. P.* Nam qui patitur, ſe præſente rem ſuam obligari, ſi non reſtitit, videtur velle decipere ementem, ideo indignus qui rem ſuam repetat, *leg. ſi ſine voluntate, 5. ad ſenatuſconſult. Velleian. Cod.*
5 *leg. 2. ſi aliena res pigno. data eſt.* ¶ Et † hæc quæ diximus maxime locum habent in rebus immobilibus alienis venditis, in mobilibus autem quædam alia ſingularia quoq; locum habent: ſiquidem alienatio mobilium alterius, eo inuito, furtum conſtituit, *l. 1. de vſucap pro emtor. lib. 7. C. tit. 26.* ſi ſciat qui emit potiſſimum, vnde nunquam horum fit vſucapio, *in l. ſciens. pro emtore, C. § furtiuæ, de vſuca. l. ſi liberam, C. quod cum eo, l. ſi ſeruum, & l. alienum, C. de furtis l. 2. C. eod. de vſucap. pro dona. ti. 27.* & qui ſciens rem alienam vendidit, fur eſt, *d. l. alienum C. de fur. l. ſi emtione, § item ſi emtor, de contrah. em. l. 4. §. fi. de pig. action. P.* & qui emit a fure, incidit in criminis ſuſpicionem, *l. ciuile, & l. inciuile, C. de fur.* Quinimo & placuit ementem res peculii, ab eo qui non habet eius liberam adminiſtrationem, etiam furti actione teneri, *d § furtiuæ, & l. interdum, § ſi res, de furt. l. 1. C. de ſeruis furtiuis,* & qui rem furtiuam accipit a fure pignore, ſuſpectum quoque furti, *l. ſi ſeruus cuiuſdam, 13 de condict. indeb.* contra tamen ſi ignoranter. ¶ Im-
6 probata † & merito, conſuetudo noſtræ ciuitatis Tholoſæ qua qui emiſſet a fure in loco publico, & palam, non tenebatur domino rei eam reſtituere, niſi reſtituto pretio. *deciſion. capel. Tholoſan. 151.* quod aduerſabatur iuris communis diſpoſitioni, *l. 2. C. de furtis, & ibi Ioan. Faber, Hoſtienſ. in Summa tit. de pœniten. & remiſſio. §. fin. verſ. quid ſi quis emat rem furtiuam, facit l. ſi ſeruus, de condict. indeb.* Ceterum quæſtio illa, num is apud quem res aliena, vel furtiua reperta eſt, qui dicit ſe ab alio comparaſſe, furti dicatur eſſe particeps, diſtinctionem accipit ab Aufrerio, *q. 151. Tholoſa.* an is improbæ famæ ſit: apud quem enim res inuenitur furtiua, niſi venditorem demonſtrauerit, fur præſumitur, *l. ciuile, C. de furt. Bald. in l. fi. C. de heredib. inſtituen.* Contra ſi is fuerit bonæ & hilaris famæ, *l. non omnes, §. fi. de re mili. P.* Suſpectus quoque & is, qui conſueuit res furtiuas emere, ſi clam emit, ſi modico pretio, *Barth. in l. inciuile, C. de furt.* non etiam, ſi palam & iuſto pretio, *Imol. in d. l. fi. de hered. inſtituen. Albert. de Roſa in d. l. inciuile* Albericus autem ſcribit ob rem alienam etiam inuentam, abſconditā apud aliquem, licet ea perſona alias conſueta fuerit furari: non tamen inde colligi poſſe neceſſario, probationē eſſe ſufficientem furti, ad ſubeundam condemnationem: ſufficere tamen ad torturam, ſi malæ famæ is alias ſit, & vitæ culpabilis, nec oſtendat a quo emerit, *Barth. in l. fi. de quæſtion.*

## De Emtione rei ſuæ, & aliarum quarundam.
### Cap. II.

1 *Emtio rei ſuæ non valet.*
2 *Ciuitates non debent ruinis ædificiorum deformari.*
*Ædificiorum ciuitatis res vendi quæ non poſſint, eod.*
3 *& ſeq. Vendi res quæ non poſſint.*
4 *Acquiſitio prædiorum certo modo limitata.*
*Stolonis lex, & Licinia de agris comparandis, eod.*
*Lege ſua damnatus Stolo, eod.*
5 *Feudi quomodo permiſſa venditio.*
6 *Emphiteoticariæ rei quomodo permiſſa venditio.*
*Laudimium quid, eod.*
*Prælationis ius, domino vendente cliente emponemata, quando competit, eod.*
7 *Iuriſdictiones an recte vendantur.*
8 *Piſces ſquamoſi ne venderentur lex.*
*Pollinctura cœna quæ.*
*Seruos vendere non licebat, vt ad beſtias depugnarent, eodem.*

EMtio eius, † qui rem ſuam ſiue ſcienter ſiue ignoranter emit, 1
non valet, *l. ſuæ rei, 16. & l. ſi emtione, §. rei ſuæ, de contrah. emt. P. l. ſeruum, C. eod. ti. l. ſeruum, de condict. indeb. P. l. debitor, de pignor. act. P.* niſi ratione partis ſociorum, *l. ſi fundum, qui ex parte manda. P. l. ſi communis, 18. de act. emt. P.* vel vſusfructus qui alterius eſt, *d. l. ſuæ rei,* & niſi in eum caſum, vel tempus aut conditionem conferatur emtio, quibus res eſſe ſua deſierit, *l. nemo rem ſuam in vtraque, & l. ſi rem meam. de verb. oblig. l. cetera, de lega. 1. l. exiſtimo, de contrahen. emt.* Alioquin quod ſemel meum eſt, amplius meum fieri non poteſt, *§. ſic itaque diſcretis, de actio. l. in bello. §. ſi quis ſeruum, de captiuis, P.* Neque dominium ad nos niſi ex vna cauſſa pertinere poteſt, *leg non vt ex pluribus, de reg. iur. l. 3. §. ex pluribus, de acquir. poſſ. P.* Vnde notat Angelus, eum qui ſcienter rem ſuam emit, vel conducit, videri iuri ſuo renuntiare, & tenere contractum, pretiumque ſoluendo ſcienter indebitum, non poſſe repeti, *l. 1. de condi. indeb.* contra ſi ignoranter.

¶ Per † ſenatuſconſultum factum Auiola & Panſa coſſ. pro- 2
hibentur venditiones rerum, quę ædificiis ciuitatum adhærent, quibus ſublatis corruunt domus, vel deformatur vrbis aſpectus, pœna dupli pretii impoſita, *leg cetera, 43. in princip. de legat. 1. l. ſenatus, 52. de contrahend. emt.* Cautum & edicto Veſpaſiani, ne negotiationis cauſſa ædificia demoliri liceret, non marmora diſtrahere & transferre, *l 2. de ædifi. priuat lib. 8. C. tit. 10. idipſum probatur l. fin. ne quid in loc. publi. P. l. 2. §. ſi quis, l. neminem, eod. titu. l. prætor, § hoc interdictum, de damno infect. P.*

¶ Prohibentur † etiam vendi mala venena, *in l. quod ſæpe, §.* 3
*venenum, de contrahen. em. P.* libri improbatæ ſcientiæ & lectionis *l. cetera famil. erciſcund. P.* purpuratæ veſtes alii quam principi, *l. fi. de veſti. holobar. li 11. C. tit. 8. l. 1. quæ res vendi non poſſ. libr. 4. C. tit. 40.* ne vinum, oleumve barbaris, *l. 1. quæ res exportari non debent. libr. 4. C tit. 41.* ne arma hoſtibus *l. 2. C. eo. quæ res expor. neq. & nouella 85.* diſtrahantur: ne frumentum publici canonis, niſi in locis deſtinatis, *l. 3. C. eo. quæ res vend non poſſ.* ¶ Sancit † lege Baſi- 4
lius Iunior Porphirogeneta, Cæſar Orientis, ne prædiis acquirendis diuites incumberent, modumque illis impoſuit. Quod & a

Conſtantino auo eius, & ab eius ſocero Romano cautum, *lib. 1. iuris Orientalis, conſtitutione 3. περὶ χωρείων τῶν δυνατῶν.* Et Romæ lege Stolonis prohibitum, ne ciuis Romanus vltra quingenta iugera agri compararet. Fuit enim lex Licinia ea quoque dicta, a C. Licinio tribuno ple. qui eius auctor fertur poſt exactos reges, anno 365. *Varro, libr. 1. de re ruſti. cap. 2.* Definitus etiam eadem lege fertur ſeruorum & liberorum numerus, per quos ea iugera cuſtodirentur. De numero tamen iugerum Plinius Iunior diſſidet, *Plin. libr. de viris illuſtrib. dum de Stolone agit.* Nec ita multo poſt Stolo ipſe lege ſua damnatus eſt, quod mille iugerum agri
5 cum filio poſſideret. ¶ Sunt † ſingulis regnis, & prouinciis, & ciuitatibus impoſiti modi certi vendendarum rerum, quos tranſgredi impune non licet, & quibus non obſeruatis, irritæ venditiones ſunt, de quibus latius agere faſtidioſum eſſet. Sunt etiam & iure ciuili venditiones quædam, quæ quidem abſolutæ non prohibentur, ſed quæ non niſi certa forma permittuntur: veluti iure feudorum, non poteſt feudum a cliente vendi, ſine auctoritate domini patroni, *§. 1. de controuerſ. feud. inter domi. & emtorem, §. Imperialem, & §. callidis, de prohibita feud. alie. per Lothar. in vſibus feud.* niſi inter agnatos *§. 1. de alien. feudi paterni, in vſibus feudor.* qua de re nos proprio loco in rebus cum de feudo agimus, tractamus. Ex generali tamen Galliarum conſuetudine feudalia redacta ſunt ad formam, & naturam patrimonialium, quod pertinet ad ius ſucceſſionis particularis & vniuerſalis, paucis exceptis, *Ioannes Faber, in procœmio Inſtitut. Iacob. de Bello Viſu, ti. in quibus cauſsis feudum amittat. in praxi, Guido Papæ. deciſio. 59. & 297. Petrus Iacob. in praxi, titulo, de conditione ex lege, Imperia-*
6 *lem, §. callidis.* ¶ Iure † quoque ciuili emphyteota non poteſt vendere ἐμπονήματα ſua, id eſt, meliorationes, ſeu prædium clientelare, niſi conſulto domino, & denuntiatione ei prius facta, vt vel emat, vel aliis emere permittat, & alterutrum eligat intra duos menſes: quibus elapſis ſoluta quinquageſima parte pretii venditionis, iure cliens libere vendit, *l. fin. de iure emphyt.* vocant hanc quinquageſimam, laudimium, quod quamuis iure ciuili 50. pars pretii ſit, tamen hodie ſecundum conſuetudinem locorum, vel ex lege traditionis exigitur, prælationis iure tantum locum habente, ſi ſibi dominus clientelaris, non ſi pro alio, quantumuis amico, retinere velit, nomine ſuo fucum faciens *l. fi. §. ſed nec hac occaſione, de iure emph.* & ita iudicatum, *Guido Papæ. quæſtione 411.* vt nec prælatio, poſt laudimia probata & electa habet
7 locum, *dict. quæſt. 411.* ¶ Iuriſdictiones † propria natura quoque, nec vendi nec emi poſſunt. Quia perſonæ, in quas exercentur, liberæ, æſtimationem nullam ſubeunt, *leg. liber homo, ad legem Aquiliam:* & cum omnis iuriſdictio, & magiſtratus, a lege, vel a principis manu pendeat, *leg. 2. §. nouiſsime, de origine iur. leg. 1. ad legem Iuliam, de ambitu*, non auſim aſſerere honeſtum eſſe, ſi non dicam iniuſtum, hoc munus iudicandi publicum, *in l. quippe, de iudic. l. fin. §. iudicandi, de muner. & honor.* & diuinum, a quo iudices Dii, mercatoribus & propolis pretio diſtrahere, quibus occaſio delinquendi porrigitur, vt, dum ea quæ emerint, carius diſtrahere & vendere lucri cauſſa, & damni reſarciendi, quod ex emtione paſſi ſunt, conantur, promiſcue aliena a boni iudicis officio, & indigna dictu amoliuntur, & ſedem iuſtitiæ ſordibus polluunt, in magnum dedecus eius, qui clauum iſtis committit, atque in perniciem totius populi. Sed cum res ipſa ſatis de ſe loquatur, omittamus iſtam iuſtiſſimam, & alibi a nobis relatam, querelam, quæ tandiu deſpectui erit, quandiu pecunia oculos principum & aures faſcinauerit. Iam enim receptum eſt conſuetudine, vt dicunt, Galliæ iuriſdictiones reductas ad rem & naturam patrimonii, vt & feuda: & exemplo aliarum rerum a priuatis emi & vendi, *Petrus Iacobi, titul. de ſucceſſ. feud. & de cauſſis ex quib. iure feudum amit.* Rectius tamen Zoa Imperatrix Orientis, cum ſorore Theodora conſorte, ſtatuit, ne magiſtratus vel principatus venderentur, vt antea factitatum, *lib. 1. iuris Orientalis ex eius conſtitutionibus ex Cedreno, titulo,* περὶ τοῦ ἀπράτως τὰς ἀρχὰς γίνεσθαι, *id eſt, de non vendendis magiſtratibus*, ſicut & Alexander Seuerus Imperator, honorem iuris & gladii nunquam vendidit, dicens: *Neceſſe eſſe vt qui emit, vendat: & ego non patiar mercatores poteſtatum, quos ſi patiar, damnare non poſſum: erubeſco enim punire eum hominem qui emit & vendit, Ælius Lamprid. in vita Alexan.*
8 *Seueri.* ¶ Fertur † Numæ edictum, ne piſces qui ſquamoſi emerentur, ad pollinctum emere fas foret, ſcilicet ne nimis magno in funeralibus cœnis mercarentur obſonia: quam cœnam pollincturam dixere: in qua etſi nihil deeſſet, omniaq; affatim ſuppeterent, lætari tamen minime decebat, *Alex. ab Alexan. Genial. dier. li. 3. c. 7.* Martianus etiã reſpondit dominos ſeruos ſuos, quãtumuis criminoſos, ea lege vt cum beſtiis depugnent, *l. domini, 42. de contrahen. em. in P.* vendere non poſſe. Rei litigioſæ quoq; odioſa venditio eſt & improbata, *l. cenſemus, de litigioſ. C. vide de ea venditione, Guid. Pap. q. 337. Bar. in l. quod ſæpe, §. ſi quis amico, de contrahen. em. P. Petrum Iacob. in tit. de re litig.*

## De Pretio. Cap. 12.

1 *Pretium pro ſubſtantia in emtione.*
2 *Pretii nomen & generaliter æſtimatio eſt, & proprie emtionem indicat.*
3 *Pretium in pecunia conſiſtit numerata in emtione.*
*Emtionis & permutationis differentia, & ſimilitudines, eod.*
4 *Pretium in emtione quid faciat.*
*Emtionis & locationis differentia, eod.*
5 *Fidem haberi de pretio quid eſt.*
6 *Emtio quando transferat dominium.*
7 *Procurator vendens, an poſſit habere fidem de pretio.*

IAm dictum eſt de rebus, † quæ ex parte venditoris in emtio- 1
nem veniunt, pro merce: dicendum nunc de pretio, quod accedit loco rei, *l. ſi & rem, de petit. hered. l. quia pretio, de vſufruct.* veluti per contributionem, ex parte emtoris, ad æqualitatem materiæ conſtituendam, *l. 1. de contrah. em. P.* Sine pretii itaque conuentione, emtio non poterit conſiſtere, *l. 2. §. ſine pretio, & l. in venditionib. de contrah. em. in P. §. pretium autem, eo. ap. Iuſtin. l. emti. C. eod. titul. §. 1. de locat. & conduct.* eſtque imaginaria, & nulla venditio, quæ pretium non habet, *l. nuda, 55. de contrahen. emtio. P.* Et proprium ſymbolum emtionis, pretium, vt Iulius Pollux inter eius ſynonyma annumeret, argento commutare, pecunia amittere, *Iulius Pollux, libr. 3. Onomaſtic. cap. 36.* ita proprie emtionem pretium arguit, *l. 3. de prædiis curialib. libr. 10. C. l. pretium, de reſcindend. vendition.* Latius tamen vſurpata acceptione nominis pretii, eo omnem æſtimationem contineri placet, *vt apud Paul. in l. cum emtor, 38. §. final. de damn. infect. P. & in l. in ſumma, § inſtrumento, de condiction. indebit. P.* & pro præmio apud Vlpianum *in l. lex Cornelia, 5. §. final. de iniur. in P.* pro mercede locationis, ſiue pro penſione, *l. & l. hæc diſtinctio, § cum fundus, l. quod ſi domus, & l. inſulam loca. P.* pro pœna, vt quidam volunt, *l. vtrum, in fin. de petit. hered. P.* Sed id metaphoricõs potius, vt & pro alia qualibet æſtimatione, quæ pecunia fit. Omnia enim pecunia æſtimari poſſe in dubium non venit, & ideo pecuniæ nomine res alias contineri, *c. totum, 1. q. 3. l. 1. C. de conſtit. pecunia, l. pecuniæ*
*verbum, 178. de verb. ſignif. P.* Hic † tamen pretium dicitur nu- 2
mis facta æſtimatio, nec ſine numis facta emtio proprie dicitur, ex Neruę & Proculi ſententia, quę vt verior probatur a Paulo Iuriſconſul. *in l. 1. §. ſed an ſine numis, de contrah. emtio.* Preti-
um in pecunia † numerata conſtitui debet, *gl. in l. naturalia, §. &* 3
*cum do. de præſcri. ver. P. Barto. in l. quoties, de iure dot. textus in l. emti. de contrahen. emtio.* vel quæ numerari poſſit. Qua nota a permutationis contractu, qui valde affinis eſt, *l. 2. C. de rerum permuta. l. fin. eo. P. l. fi. ex quib. cau. in poſſeſſio. eat. lib. 42. P. tit. 4.* emtio diſtinguitur: cum in permutatione res pro re detur, at in emtione pretium pro re, *l. 1. de rerum permut. P. l. 1. § penul. de contrah. em. P.* Et alio modo, quod emtio conſenſu fiat, *dict. a l. 1. de contrahen. em. P.* vt poſtea, Deo fauente, dicetur, permutatio, rei traditione, *l. ex placito, de rerum permuta.* & in permutatione contrahentium vterque permutator: cum in emtione, alius emtor, alius venditor ſit: in aliis fere pares. Nam vtraque conuentio eſt bonæfidei, *l. actionum, de actio. 2. C. de rerum permuta.* Ex vtraque vſucapiendi paratur cauſſa, *l. 1. de rerum permuta. C.* Ex vtraque euictio, *l. 1. de rerum permu. C.* redhibitio, *l. ſciendum, § penult. de ædilit. edict.* quia in vtraque ſanitas promittitur, *l. 2. de rerum permuta. & l. ex emto, § animalium, de actio. emt. P.* Atque Plinius permutationem emtionem dixit, *lib. 33. capit. 1.* his verbis: *Commercia victus gratia inuenta, alios coriis bonis, alios ferro, captiuiſque rebus emtitaſſe tradit Homerus*, de quo & nos alibi, dum in criminibus agitur de falſa moneta, & dum de charactere, materia & pondere numi. Ex illa enim communi, & rerum commutatione, qua inutilia vtilibus tantum permutabantur, nata permutatio emtionis, electa materia quæ ex conſenſu fieret rerum æſtimatio, *d. l. 1. de rerum permuta. & l. 1. de contrah. em. P.* Sic enim Plato *2. de Legib.* ἀγορὰ δ' ἡμῖν καὶ νόμισμα καὶ ἀλλαγῆς ἕνεκα γενήσεται, id eſt, *forum & pecunia erit commutationis cauſſa.* Et Ariſtoteli *5. Ethicorum, capit. 5.* ὑπάλλαγμα τὸ νόμισμα, *ſubſidiaria com-*
*mutatio nummus.* ¶ Pretium, † in emtione, eſt æſtimatio 4
valo-

valoris rei venditæ, quo nomine pretium emtionis differt a locatione, in qua & datur pecunia pro mercede ſeu penſione, l. 1. § ſi quis ſeruum depoſ. in P. gl. in l. qui quatuor, § qui hortos, de lega. 3. l. 1. loca. in P. non pro æſtimatione rei, glo. in l. 1. §. 1. in verbo, in agendo, de ſuperficie. pro vſu vel vſufructu, & commoditate: quamquã & catachreſticῶς locationis merces, dicatur pretium. vt in l. ſi quis ante, in fin. de acquirend. poſſeſſio. l. qui inſulam, §. qui ædem, & l. ea lege, 53. § loca. & l. inſul. 60. locat. Sicuti & aliquoties magis improprie emere & vendere, pro conducere & locare, l. vt in l. 2. qui, C. loca. in l. inſulam, §. qui ædem, & in l. ea lege, §. qui ædem, eod. tit. in P. l. cotem, §. Cæſar, de pub. cum tamen longe lateque inter ſe hæc differant & diſtent: vel eo maxime quod per locationẽ res nõ mutet dominum, vt in emtione. l. conuenit, de contrah. emti. P. l. non ſolet, loc. P. Et proinde diuerſo modo fiant. l. ſciendum, de ædil. edict. P. Fit & penſio locationis cauſſa alio modo, quam pecunia, vel tritico, vel aliis rebus: ſine pretio tamen emtio non eſt.
5 ¶ Et † ita in ea vel pecunia numerãda eſt, vel fides de pretio haberi debet, id eſt, debet emtori credi quod ſoluet, ſi præſentem non habet pecuniam. §. 1. de emtio. Datur & interdum res pro pretio venditore volente in ſolutum, l. cum pro pecunia, l. manifeſtum, & auth. hoc niſi, de ſoluti. C. auth. hoc ius porrectum, de ſacroſan. eccleſ. l. pretii cauſſa, C. de reſcinden. ven. vt & quandoque pactum pro pretio, Iabol. in l. fundi partem, 79. de contrahenda emt. Et Pomponius Iuriſconſ. Quod vendidi, inquit, aut tradidi, non aliter fit accipientis, quam ſi aut pretium nobis ſolutum ſit, aut ſatis eo nomine factum, vel etiam fidem habuerimus emtori ſine vlla ſatiſdatione. l. quod vendendi, 19. de contrahenda emtio. idem in l. procuratoris, 5. §. penultimo de tributor. actio. lib. 14. P. titu. 4. Videtur autem fidem ſequi emtoris, qui & diem ad ſoluendum debitori conſtituit. l. ad ſolutionem, de re iudic. C. Alioquin venditor rem vendicat venditam, ſi is qui emit, dicebat ſe paratam habere pecuniam, nec dedit, d. § penult. l. procuratoris, 3. de pignora. actio. niſi & paratus ſit dare pretium, l. diligenter, manda. in P. l. ſi ventri, § in bonis, de priuileg. creditor. Si tamen tum emtio facta eſt, emtor non dixit ſe paratam habere pecuniam, videtur emtor pecuniam præſentem non petẽdo, fidem habuiſſe de pretio, nec rem ideo repetit, §. venditæ, de rerum diuiſ. l. ex emto, de actio. emt. l. vt res, de contrahen. emt. P. nec retractatur venditio, ſed agitur rata manente emtione ad pretium. l. in ciuile 12. de rei vindic. lib. 3. C. titu. 32. l. non idcirco, 12. de contrahen. emti. C. l. 1. C. de actio. emt.

6 ¶ Si † tamen antequam emtæ rei dominium traditione, vt fit, l. quoties, C. de rei vindic. non fuerit tranſlatum, ante numerationem pretii, venditor non tenetur rem tradere, nec poteſt dici in mora tradendi, minuſq; conueniri poteſt ad tradendum, niſi dato pretio, ſi ea lege, vt pecunia traderetur emtio fiat, vt ſolet, id eſt, non habita fide de pretio: imo hoc caſu partem pretii numerando non poteſt partem rei petere: quia ita contractum æs alienum diuidi non poteſt, l. fiſtulas, 78. §. qui fundum, de contrahen. emt. P. l. Iulianus, 14. §. offerri, de actio. emt. P. & venditor vſque ad integram ſummæ ſolutionem, retinere poteſt rem venditam in pignus, d. §. offerri, l. quod ſi nolit, 31 § idem Marcellus, de ædilit. edict. lib. 21. P. tit. 1. l. hereditatis venditæ, de heredit. vel actio. ven. neque enim dominium pro parte quæritur, neque pro parte, & niſi totum venditor alienaſſet. l. ſi rem, de ſolut. P. Æquius tamen viſum eſt, vt pro parte ſoluti & admiſſi pretii, fructus pertineant ad emtorem. vt in l. fin. de feud. dotal. C. in P. Bartho in d. l. qui fundum, l. fiſtulas. Sicut tradita re, emtor qui percepit fructus, qui pretium integrum nõ ſoluit, tenetur ad vſuras pretii. l. curabit præſes, 5. de actio. emt. C. l. Iulianus, §. ex vendito, de actio. emt. P. Obſeruandum hic ita demũ ſine pecunia præſenti, fide habita pretii vel expreſſe, vel tacite, transferri dominium rei traditione, quando a domino venditio fit & traditio. At ſi mandato domini veniat res, dubio non caret quæſtio. Quare diſtinguendum: vt ſi officio iudicis vendantur pignora, ea oportet præſente pecunia diſtrahi, non ea lege, vt poſt tempus pecunia ſoluatur, l. a diuo Pio, 15. § ſed et ſi emtor, de re iudica. in P. l. ſi procurator, 5 §. 1. de iur fiſc. P. l. 1. C. eod. tit. nec enim diſtractio pignoris conceſſa alia ratione eſt, quam vt ex illa pecunia
7 confletur: definitaque eſt poteſtas vendendi. ¶ Si † tamen procurator ſit qui vendit, qui mandatum habeat cum libera adminiſtratione, poterit vendendo habere fidem de pretio, niſi nominatim a domino prohibeatur, Bartho. in d. § ſed et ſi emtor, l. a diuo & in l. cuicunq; § fin. de inſtitor. actio. vel colludat in fraudẽ domini cum emtore. l. qui fundum, 7. §. procurator, pro emt. lib. 41. P. tit. 5. Lex Platonis de pretio ſtatim ſoluendo hæc. Quæcunq; emendo, aut vendendo commutantur, in ſtatuto fori loco permutentur, dando accipiendoq; vltro citroq; rem, & rei pretium illico, nec alicubi alibi. Nulla vero emtio, aut venditio ad terminum fiat: quod ſi aliter, aut in aliis locis permutatio facta fuerit, nullum ſit ſecundum legem, de ipſa iudicium. Plato, lib. 11. de Legibus.

## Quomodo Pretium emtionis certum eſſe debeat.

### Cap. 13.

1 *Pretium emtionis certum eſſe debet, quomodo.*
*Certum quid dici poſſit, eod.*
2 *Pretium certum & definitum ſtatuitur, a contrahentibus, magiſtratibus, & lege.*

PRetium in emtione † conſtitui debet certum, §. pretium autem, de emtio. & vendit. videlicet de quo inter contrahentes conuentum ſit. Ideo non valet emtio, cuius pretium in ementis, aut vendentis relatum eſt arbitrium, l. in ementis, C. de contrahend. emt. l. quod ſæpe, §. 1. eod. tit. P. quamuis in arbitrium tertii poſſit cõferri, vt quanti is æſtimauerit, tanti vẽdita ſit, qui tñ ſi noluerit, vel nõ potuerit æſtimare, irrita fit emtio, vt pretio deſtituta. l. fi. C. de contrah. emt. §. pretium, & ſeq. eo. ap. Iuſtinia. Sic relatione facta ad æſtimationem alicuius, eius æſtimatione in certum pretium certum erit. Sicuti quãdo relatio fit ad aliam emtionem, vt quanti eum tu emiſti, aut quantum pecuniæ habeo in arca, tanti emo. l. hæc venditio, 7. §. huiuſmodi, de contrah. emt. P. Huius rei fortiſſimum argumentum a ſententia, quæ cum certa dici debeat a iudice, §. curare, de actio. l. 3. de ſenten. quæ ſine cert. quant. lib. 7. C. titu. 36. l. quid tamen, §. Pomponius, de arbit. P. certa dicitur, relatione ad petitionem certam facta, d. l. 3. de ſenten. quæ ſine cert. quant. l. 1. in fine, ſi pars hered. peta. l. ait prætor, §. 1. de re iudicata, l. quæ de tota, § fin. de rei vin. P. §. ſi quis agens, de actio. vel ad aliud certum, vt ad ſolutum. l. ait prætor, §. 1. & l. in ſumma, de re iudic. in P. Eiuſmodi quoq; ea erit valida relatiua venditio certa: eſto mihi emtus fundus centum, & quanti eum pluris vendidero: augeturq; pretium, ſi pluris emtor vendiderit, Vlp. in d. l. hæc venditio, § fi. de contrah. emt. Paul. l. ſi pater, 12. §. penul. de pact. dotalib. P. Certum quoque pretium dicetur, cuius ſpecies, qualitas & quantitas apparet, aut nomine ſuo, aut demonſtratione, quæ vice nominis fungitur. Paul. l. certum eſt, 6. de reb. credit. in P. l. ſtipulationum, & l. ſequ. de verb. obligatio. 1

¶ Certum † porro pretium debet eſſe, vel auctoritate conuentionis eorum qui contrahunt, vel auctoritate magiſtratus, vel auctoritate legis. Contrahentes ad certitudinem & placitum reducunt pretii cauſſam, minutis interrogationibus. l. ſi voluntate, C. de reſcind. vend. Sic enim dominis rerum tantum conceſſum eſt, iure communi, rebus ſuis pretia ſtatuere, l. nemo exterus, de Iudæis, C. neque cogi alio quam quo voluerint pretio ad arbitrium ementis diſtrahere. Paul. in l. non enim æquum eſt, 9. rerum amotar. lib. 25. P. tit. 3. l. ſi tutor, 8. de in litem iuran. lib. 12. P. tit. 3. Quod inuitis nobis, nemo res noſtras retinere debeat, l. ſi filiusfamilias, 25. §. 1. ſolut. matrimon. P. neque in alienis rebus, quid fieri, vel paciſci contra domini voluntatem, ſecta noſtrorum temporum patitur, l. fin. C. de pactis 2. de iis qui ſunt ſui vel alien. iur. P. l. in diem, de aqua plu. arcend. P. vti neque emere, vel vendere quiſquam cogendus eſt, l. nec emere, de iure deliberan. C. l. inuitum, C. de contrahen. emt. ſi de non venalibus, placuit Seuero & Antonino CC. ius non eſſe ordini cuiuſque ciuitatis pretium grani quod inuenitur ſtatuere ciuibus. l. 3. §. 1. ad legem Iul. de anno. P. Lex & magiſtratus etiam certum pretium conſtituunt, lex Platonis de pretio certo hæc: Qui vendit in foro aliquid, nunquam rei ſuæ venalis duo pretia dicat, ſed cum ſimplex impoſuerit pretium, ſi non vendiderit, referat: iterum & eadem die nec maius, nec minus pretium petat. Plato libro 11. de Legibus. Athenæus, ex Alexide in Pyleis, ſimilem legem Ariſtonici refert his verbis, libr. 6. diphnoſo. capit. 2. 2

*Ariſtonico nullus fuit prudentior,*
*Latore legum: ponit hic legem quoq;.*
*Nunc, venditor ſi piſcium quis vendidit*
*Pretio minore quam petiuit, illico*
*In carcerem vt ducatur: æquo ſint vti*
*Pretioq; contenti, domum vel putridos*
*Piſces ferant hi veſperi, Mittas anum,*
*Mittatur aut puer, ſenex ve, protinus*
*Omnes emant ex lege.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## De pretio iuſto. Cap. 14.

1 *Pretium iuſtum quod eſt.*
2 *Monetæ valor quomodo perpendendus, ſi in diuerſis locis & temporibus variet.*
3 *Pretium emtionis legitimum triplex, commune, formale, ſeu conuentionale, & legale.*
4. & 7. *Pretium rei verum & iuſtum quomodo metiendum.*
5 *Pretium venalibus rebus iuſtum ſtatuendum a quibus.*
6 *Monopolia vendentium improbata & punita.*

1 PRetium certum,† iuſtum quoque eſſe debet, æquum & legitimum, id eſt, congruum & valori rei accommodum. *l. & ſi æquo pretio, & l. ſi feudum, de legat. 1.* Nam ſi quis viliſſimo vendat pretio, alius cenſetur contractus, quam emtionis: videlicet aut donatio, *l. ſi quis ante, de acquiren. poſſ. P. l. ſi quis conduxerit, loca. P.* aut contractus ſimulatus, *vt in c. ad noſtram, de emti. ap. Gregor. l. per diuerſus, 22. manda. lib. 4. C. tit. 35.* Pretium quippe ad æquandum valorem mercis adiectum eſt emtioni, *l. 1. de contrah. emt. P.* & ad magnam rem comparandam pretium modicum non ſufficit. *l. ita autem, in princip. de adminiſtratio. tutor. P.* Quo fit vt ſi ex pluribus rebus, non conſtat quantum venditum ſit, recurrendum eſt ad quantitatem. *gloſſ. in l. 1. §. 1. de ſuperfic.* Sic quantitas pretii & rei eiuſque qualitas, declarant qualis fuerit contrahentium mens, & ex quantitate pretii plus minuſve venditum præſumitur. *l. cum in fundo, §. vxor, de iure dot. P. facit l. 1. de reb. dub. P. l. quoties ad*

2 *Trebel. P.* ¶ Iuſtum † itaque pretium dicetur, ratione habita æſtimationis, & valoris monetæ, ſecundum vſum loci, eius in quo ſoluitur, *l. ideo in arbitrium, de eo quod cert. loc. P.* vel vbi contractus ſit, *glo. in l. ſemper in ſtipulationibus, de regul. iur. P. ibi, in regione in qua actum eſt, frequentatur in l. Imperator, de contrah. emt. in P. ibi præſertim ſi nihil contra conſuetudinem* ſi tamen locus, vbi ſolutio facienda exprimatur, habenda eſt ratio valoris & monetæ, quæ ibi ex vſu ſit. *gloſſ. in l. ſed et ſi ſuſceperit, §. libertus, de iudic. in verb. ex genere comparationis.* Sicuti in dubio, eius loci vbi certa res tradi debet, pondera, & moneta ſeu pecunia conſiderari, *l. ratio, in fin. de actio. emt. P. l. contraxiſſe, de action. in P. 2. de bonis aucto. iudic. poſſiden. l. vinum, ſi cert. petat. in P.* debet: ſi quid de numorum qualitate inter contrahendum placuerit, id in primis, vt in aliis conuentionibus, vt placitum ſeruandum eſt: ſin minus, venditor ex omni genere monetæ, quam obtulerit emtor, ſumere pretium cogitur, dummodo ſit auctoritate donata a principe, & iuſti ponderis, *l. 1. & fin. de veteris numiſma. poteſta. lib. 11. C. titu. 10.* nam eam quæ ab vſu receſſit, non tenetur accipere, quia in vſuali contractum fuiſſe videtur. *l. ſi ſeruus plurium, de leg. 1. l. Imperator, de contra. emt. Clem. beneficiorũ, in ver. monetã currentem, de decim.*

3 *facit l. numis, de leg. 3. l. cũ de lanionis, §. aſinam, de fundo inſtr.* ¶ Pretium † emtionis legitimũ triplex, cõmune, formale ſeu cõuentionale, & legale. Commune, quale eſt illud, quo ſimiles res in eodem loco venduntur, & æſtimantur, *l. 1. §. 1. de flumini. l. pretia rerum, ad leg. Falcid. in P. l. fi. de admin. tut. C. l. mortis cauſſa, §. fin. de dona. cauſ. mort. P.* formale ex conuentione contrahentium formam accipit, quod pretium differt ab æſtimatione facta, ſecundum rei veritatem, apud Vlpianum, *in l. in lege Falc. 62. ad legem Falci. in P.* poſſunt enim contrahẽtes ſe mutuo circumuenire, id eſt, minus pluſve circa ęſtimationẽ verã pretio adiicere, *l. in cauſſa, §. idem Pomp. de mino. P. l. item pretio, § fi. loca. P.* plura enim ſunt, quę poſſunt ratione perſonarum, vel rerum contrahentium, pretium minuere vel augere licere extra cõmunem functionem, *vt in l. pretia rerum, ad l. Falcid.* vel quia res maiorum fuit emtoris, qua de cauſſa etiam pluris, quam valeat intereſt ſua a ſe emi, *l. ſi in emtione, de minori. P. l. lex quæ tutores, de adminiſtr. tutor.* vel quia res nobis confines ſunt, & nobis accommodæ. *l. ſi eui fundus, de lega. 2. l. et ſi æquo pretio, de lega. 1.*

4 ¶ Legale † ſeu proprie legitimum pretium dicitur, quod a lege iuſtum dicitur, & vera cuiuſque rei, ſemota omni affectione, æſtimatio, quando iuxta reditum fit pretium. *vt l. ſi quos debitorum, 16. de reſcinden. vendit. C. l. penult. de rebus eorum, qui ſub tu. vel cura ſunt, P. l. Caius, §. Titius, de leg. 2.* Iuſtinianus verum pretium rei putat rerum eccleſiaſticarum, quantum de reditibus in quinquaginta annis colligitur, *§ ſanctiſſimus, de alienation. & emphyteuſi collatione, 9. titu. 3. nouella 120.* & alibi, *§. quia vero Leonis, verſiculo, ſi vero alicuius, de non alienand. rebus eccleſiaſt. colla. 2. titu. 1. in Authentica, eſt in Nouellis ordine 7.* in vigiuti.

5 ¶ In † ciuitatibus bene gubernatis, rebus quotidiani & neceſſarii vſus, pretium iuſtum taxari & definiri ſolet, rebus venum expoſitis: neque debet permitti arbitrio mercatorum, vel propolarum. *l. 1. de monopol. C. lib. 4. titu. 59.* Agoronomorum, ædilium vel aliorum, qui præpoſiti ſunt politicis negotiis, cura eſt, vt ſtatuant rebus venalibus iuſtum pretium, habita ratione temporum & locorum, efficiantque ne fraus legi horum fiat. *l. 1. l. 4. §. cura carius, de offici. præfect. vrb. in P. l. 1. C. de epiſcop. audien.* Huius rei etiam cura ad decuriones, & ad eos quos epiſcopos vocatos conſtat. *l. munerum, §. item epiſcopi, de munerib. & honor. P.* Sic enim & auaritiæ, & fraudibus via præcludetur, & commercia faciliora erunt, alioquin futurum, pretia in immenſum excreſcere, vt remedio ſubueniri opportune, *l. de ætate, § ex cauſſa, de interrog. act. P.* ſatius ſit. Quare rectiſſime, Caroli noni conſtitutione apud Molineos lata, anno Domini 1566. ſtatuitur, *articulo* 82. vt pretium imponatur a iudicibus rebus venalibus, potiſſimum eduliis: & vt caupones, ſeu hoſpites, tabellis palam ſuſpenſis ſingularum æſtimationem continentibus, fraudem ne faciant. Et hoc ipſum lege alia edictali nuperrime renouatum eſt a rege noſtro Henrico eius nominis 3. Galliarum, & Poloniæ ſeu Sarmatiæ rege, latiuſque de ſingulis taxandis decretum.

¶ Quas † vtinam tam bene exſecutioni mandarent magiſtratus, quantum videmus hanc turbam ſordidam mercatorum, & dardaniorum & artificum, lucris intentam ex arbitrio vendentem, monopoliis tam iniquis & frequentibus, vt ipſa non legem accipere velle a ſuperioribus, ſed regi ipſi dare videatur. Sed in curia magiſtratuum, regum imminuit ſemper auctoritatem in omnibus. Exſtant iura ciuilia & regni, qui illos officii admoneant, & tamen ſine lege viuitur, & nihil vanæ proficiunt leges ſine moribus: improbant & iura Imperatorum monopolia, & ſeuere puniunt, ſpoliatione omnium bonorum & perpetuo exſilio. *d. l. vnic. de monopol. libr. 4. C. titul. 59. vide Ioannem Berberium in Viatorio iuris, titu. de collegiis illicitis, & monopoliis, Franciſc. Lucanum in ſuo tractat. celeberrimo, in 2. parte principali, de caſibus bonorum publicandorum, numer. 5. & 6. Iodochum Damhauderium Brugenſem, in Enchiridio praxeos rerum criminalium.* Caſtigant & Imperatorię nouiſſime latæ in Germania leges, tempore Caroli V. in comitiis Auguſtæ Vindeliciorum habitis, anno 1548. *cap. ſeu articulo 18.* eadem pœna publicationis bonorum & exſilii. Franciſcus quoque primus Galliarum rex, prohibuit artificum monopolia, neve ex compoſito res artificii ſui vna pertractarent: pœna confiſcationis corporis & bonorum indicta. *in conſtitut. Franciſci 1. de abbreuia. litium, art. 191.* 6

¶ In † iuſto deinceps pretio iudicando, conſideratur valor rei, 7
& monetæ ex tempore quo emtio facta eſt, & loci vbi facta, non habita ratione ſtatus, aut qualitatis rei, anterioris vel ſequentis. *c. cum cauſſa, 42. de teſtib. & c. cum dilecti, de emtio. cap. dudum, de elect. apud Gregor. l. 2. & l. ſi voluntate, in fine, de reſcind. vend. C. l. ex mille, §. 1. de euictio. P. cum ſimil.* Sicuti enim pretia ex diligenti cultura prædiorum augentur: ita ſi negligentius habita ſint, minui ea neceſſe eſt. *l. 3. §. diui fratres, de iure fiſc. in P. l. ad reſcindendam, de reſcindend. vendi. C. l. fin. C. de alluuion.* Sed inſpicimus generaliter in conuentionibus, tempus quo contrahimus. Sic habita eius ratione, facile erit ſtatuere num deceptio in pretio fuerit. Ex his enim variant rebus pretia legitima, vt & ex aliis quæ ex commoditate, fertilitate, vel ſterilitate rerum contingere poſſunt, vt his verbis Plinius paucis admonet. *Pretia rerum quæ vſquam poſuimus, non ignoramus alia in aliis locis eſſe, & omnibus pene annis mutari, prout nauigationes conſtiterint, aut vt quiſque mercatus ſit, aut aliquis præualens manceps annonam flagellet, non obliti Demetrium a tota Seplaſia Neronis principatu accuſatum apud conſules. Plinius lib. 33. hiſtor. natur. 13.*

## De Conſenſu, & de Perſonis quæ emtionem, vel venditionem perficiunt.

## Cap. 15.

1 *Vendi cur res in ſolidum eadem duobus poſſit.*
2 *Conſenſus emtionem perficit.*
*Emtionis cum permutatione, & locatione diſtinctio. eod.*
3 *Emtio diſſenſu vitiatur.*
4 *Vendens aliud pro alio, quomodo teneatur.*
5 *Mendacium in emtionibus & venditionibus puniendum.*
6 *Adulterantis res venales ex Platonis lege pœna.*
7. & 13. *Emere aut vendere qui non poſſunt.*

8. Nego-

8 *Negotiatio quare nobilioribus, & palatinis inhibita.*
*Mercatura ſordida eſt, & remouet a Reipublicæ adminiſtratione, & inibi mercaturæ deteſtatio, & de mercatorum vili ingenio & auaro, eod.*
9 *Negotiatio prohibita ciuibus Romanis.*
10 *Clericis.*
11 *Cum barbaris & hoſtibus.*
12 *Emere non licere niſi a cognitis venditoribus.*

1 Mirum certe videri poſſet, † cur pluribus ſeparatim vna eademque res vendi in ſolidum poſſit, *l.quoties, de rei vind.C.* & vtrique emtori in ſolidum obligatum vnum cenſeri, *l.ſi venditor.17 de in diem addict.* niſi nobis rationem ſuggerat conſenſus, & obligationum eius ſubſtantia, quæ res noſtras non faciunt, nec in nos transferunt, ſed tantum obligant ad dandum, vel faciendũ.
2 *l.obligationum ſubſtantia, de verb.oblig.* ¶ Proinde † recte tertium, quod ſubſtantiale eſſe dicebamus, emtionis conſenſus erat, quo, veluti inſtrumento, forma adhibetur, & res, & pretium, certitudinem, diſtinctionem, & pacta ſuſcipiunt, *l.1.§ fin. & l.in venditionibus, 9.de contrah.emt.in P.l.2.de action.cum ſimil.* inuitus quippe & non conſentiens, vendere non cogitur ſua, vt diximus. *l.inuitũ, & l.in vendendis, & l.dudum, de contrah.emt.C.l.ſicut, C.de actio. l.nec emere, C.de iure deliberan.l.nemo exterus, de Iudæis, C.* Et grauis videtur iniuria, quæ inani honeſtatis colore velatur, vt aliquid de rebus ſui homines cogantur facere inuiti. *d. l. dudum,* 14. Itaque & inter abſentes per nuntium, per epiſtolam, & alia mediáte perſona, ex conſenſu fieri poterit. *l.1.§ fin.de contrah.emt.in P.l.fin.C. ſi quis alteri vel ſibi.* Hacque eſſentiali differentia abeſt a permutatione emtio, quæ rei interuentu tantum perficitur, *l.ex placito, de rerum permut.* & conſenſus in pretio, eam diſtinguit a locatione, *l.ſi quis ante, § fin.de acqui.poſſeſſio.*

3 ¶ Quare † diſſenſu vitiabitur emtio, ſiue is in corpore ſit, vt ſi vna res pro alia vendatur: ſecundum eam quam adfert diſtinctionem Vlpianus, num præſens ſit & demonſtratum corpus, vt tunc error in ſubſtantia non vitiet emtionem: ſi non certum ſit, vitiet, *d.l.in venditionibus, 9.de contrah.emt.Paulus in l.aliter,* 10. *& l.quid tamen,* 14. *eod.tit.* vel ſi demonſtratum ſit cæco, qui non videt: nec conſentire videtur, ſi ei æs demonſtratum pro auro vendatur. *l.alioquin,11.de contrah emt.*

4 ¶ Idipſum, † ſi menſam argento coopertam mihi ignoranti, pro ſolida imprudens vendidiſti, nulla eſt emtio, pecuniaque eo nomine data condicetur, *l.cum ab eo,41.§.fi.de contrah.emt.* vel ſi partem argenti retinere velit, quanti ſua intereſt non fuiſſe deceptum, actione ex emto conſequetur. *§.fi.de emt.apud Juſtin. Paul. in l.ſi ſterilis,22.§.quamuis, de actio.emt. P.* Quod latius explicat alio exemplo Marcellus ex Labeonis reſponſis, in eo qui interpolata veſtimenta pro nouis emerit, cui ex Trebatii ſententia, quam Pomponius probat, præſtandum id quod intereſt: ſi ignorans emerit, etiam ſi ignoraret venditor: & ſi ſciebat, ad damnum quod ex eo contigit teneri. Quemadmodum, ſi vas aurichalci pro aureo vendidiſſet, præſtari debere aurum, *in l.Labeo,45.de contrah.emt.P.l.Iulianus, de actio.emt.P.* quod vendidit. Hic enim & inæqualitas pretii cum minoris valoris re, & fraus reſiliri a conuentione ſuadet, dolique mali exceptio, quæ contractus infirmat, *l.eleganter, de dolo.* vt latius alibi proprio loco traditum eſt.

5 ¶ Et † conſenſum liberum impedire mendacium ignotum non eſt: quamobrem iuſta lex fuit, qua ædiles, ſeu fori curatores, duas res curare debent: cum vt in foro modeſtia ſeruetur, tum vt mendaciis abſtineant, non vendentes modo, ſed etiam ementes, vt ait Theophraſtus de Legibus, quem citat Suidas, *in dictione* κατὰ dum explicat illud, κατὰ τὴν ἀγορὰν ἀψευδεῖν ἔοικε.

6 ¶ Plato ad † vitandum mendacium, & ne quis verbis ad emendum carius falſo alliciatur, legem præſtantem condidit, quæ in noſtris mercatoribus deſideratur. *Laus,* inquit, *11. de Legib.rei venalis, & iuramentum longe abſint. Eum vero qui hanc legem tranſgreditur, quilibet ciuis non pauciores quam triginta natus annos cum iurantem audierit, impune verberibus cedat: quod ſi non fecerit, legum proditor habeatur. Eum vero qui legi non obtemperauerit, remque adulteratam vendiderit, quicunque aduertit, poteſtque, arguat: & qui coram magiſtratibus redarguerit, ſeruus quidem aut inquilinus, rem adulteratam ſecum aſportet. Ciuis vero, ſi accuſare neglexerit, improbus habeatur: ſin accuſauerit conuiceritque, diis qui foro præſunt, dedicet. Huius autem rei qui manifeſte deprehenſus fuerit venditor, non ſolum reipſa priuetur, verum etiam tot verberibus publice cædatur, quot drachmis vendebat, præconum verbo, cauſſa cur verberetur declarata.* Valet nihilominus & emtio, ſi ego me virginem emere putarem, cum eſſet iam mulier, in ſexu enim non eſt erratum, *l. alioquin,* 11. *quod ſi, de contrahend. emtio.* ſed valet eatenus, vt actione ex emto agatur ad reſoluendam emtionem, *l.ex emto, §.ſi quis virginem, de actio.emt.P.* Ignorantia tamen emtori prodeſt, quæ non in ſupinum hominem cadat. *Paul.l.etſi conſenſum,15.§.ignorantia, de contrah.emt.P.*

¶ Quia † itaque conſenſus exigitur, furioſi nulla erit vendi- 7
tio, vel emtio: quia nec is conſentire dicitur niſi in dilucidis furoris interuallis, *l.2.C.de contrah.emt.§.1.eod.titu.apud Iuſtinia.* non vendit pupillus ſine auctoritate tutoris, *l.pupillus, 5.§.pupillus, de auctorit.tutor.P.l.quæcunque,18.§.fin. de pub. in rem actio. P. lib. 6. titu.2.qui a quolibet, l.27.de contrah.emt.P.l.ſi id quod, 7.§.ſi pupilli, de reſcind.vend. P.lib.18.tit.5.* nec emit, cum ſuo incommodo: alios namque in hac emtione, vel venditione ſibi obligat, ipſe autem aliis non obligatur. *l.Julianus, 14.§.ſi quis a pupillo, de action. emt. P.lib.19.tit.1.* Idipſum ſi quis emat ab eo, cui ſit bonis interdictum, *Pomponius l.ſi ſciens,26.de contrahen.emt.in P.l.is cui bonis, 6.de verbor.oblig.* iſtius namque nulla veluti furioſi voluntas eſt. *l.furioſi,41.de reg.iur.in P.* Neque tutor a pupillo ſuo, ſeu auctore, emere poteſt: alio auctore, poteſt. *d.l.pupillus, §.item ipſe tutor, de adminſtr.tutor.l.non exiſtimo, de adminiſtra.tuto.in P.l.ſi in emt.§.fin.de contrah.emt.P.* Sicuti & aliis adminiſtratoribus publicis temporalibus recte interdictum eſt, emere a ſubditis. *in l.qui officii, & l.non licet, de contrahen.emt. P.l.aufertur, §.quod a præſide, de iure fiſc.* Notantur & caſus aliqui ſimiles, a gloſſ.l.dudum, in verbo, niſi lex, de contrah. emt.C.

¶ Nobiliores † natalibus, & illuſtres, non quidem ab emtioni- 8
bus neceſſariorum, vel immobilium arcentur, ſed a vili negotiandi exercitio, vt tenuioris vitæ homines facilius commercia exerceant, *l.3.C.de commerc.& merca.* neve dignitatis impreſſione voluntates contrahentium intercipiant: quare & militibus, *l.milites, C.de loca.l.milites, de re milit.lib.12.C.l.vni.titu.negotiator. ne militent.lib.12.C.* & palatinis, *l.fin.de reſcinden.vend.C.l.ſcriniarios, de numerariis & actuariis, lib.12.C.* negotiatio inhibetur. Et generaliter indigna & a probis honeſtiſque viris ſemper aliena viſa eſt negotiatio, quæ lucri cauſſa exercetur. Et proinde lex negotiatores hos ſummouit ab officiis prouincialibus, *l.ſi cohortalis, de cohortali, libr.12.C.* a militiæ ſacramento, *l.1.negotia.ne milit.* ab omni fere dignitate, *l.ne quis, de dignitati.libr.12.* Et apud Thebanos quoque lex, vt nemo habilis eſſet ad reipubl. munera ſuſcipienda, niſi per decem annos a mercatura deſtitiſſet. *Ariſtot.3.Politic.c.3.* Cicero ſordidos exiſtimat eos, qui mercantur a mercatoribus: nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur. *Cicero 1.Officior.* D. Chryſoſtomus ſcribit, nullum Chriſtianum eſſe debere mercatorem: quod nullus mercator Deo poſſit placere, &c. *cap.eiiciens,18.diſtinct.c.quid aliud, eo.* Etenim mercator, ex diametro peccat in illud quod monet D. Paul. *1.ad Theſſal.4.* inquiens, *ne quis in iudicio circumueniat fratrem ſuum.* Et Plato, genus mercatorum maxime vitioſum eſſe docet, dum ſcribit longe a portu maris ciuitates eſſe ædificandas: ne commerciis ciues ſe dedant: quod ciuitas cauponando cum mercibus & diuitiis, repleatur morib. infidis & inteſtabilibus, fiantq; ciues doloſi animis. *Plato in princ.lib.4.de Legib.* Annotauit & Cicero Phœniſſes primos mercatores, mercibus ſuis auaritiam, magnificentiam, & inexplebiles cupiditates primum in Græciam intuliſſe. *Cicer.3.de Republ.* Vilem & virtuti aduerſam mercatorum & artificum vitam, dixit & Ariſtoteles. *7.Politicor.cap.9.* Et Leo ſummus Pontifex, melius ait eſſe diſpendia pati, quam negotiationis periculis adſtringi: quia difficile ſit inter ementis vendentiſque commercium, non interuenire peccatum. *cap.qualitas lucri, de pœnit.diſtin.5.* Heſiodus imprudentem animum vocat, qui ad mercaturam conuertitur, his verbis. *Heſiod.lib.1.operum & dierum.*

εὖτ' ἂν ἐπ' ἐμπορίην τρέψας ἀεσίφρονα θυμὸν,
βούλῃαι χρέα τε προφυγεῖν, καὶ λιμὸν ἀτερπῆ, &c.

id eſt,

*Quando ad mercaturam, verſo imprudente animo,*
*Volueris & debita effugere, & famem inamœnam, &c.*

Et Demoſthenes, *pro Phormione.* ἔστι δ' ἐν ἐμπορίῳ, καὶ χρήμασιν ἐργαζομένοις ἀνθρώποις, φιλεργὸν δόξαι καὶ χρηστὸν εἶναι τὸν αὐτὸν, θαυμαστὸν ἡλίκον, id eſt, *eſt autem in mercatu, & inter homines pecuniarum quæſtum facientes, eundem induſtrium videri & probum eſſe ingens miraculum.* Nec ad rem facit, quod ii ſint valde vtiles

reipublicæ, quod neceſſaria vt vendant egentibus comparent: hoc enim verum eſt, ſed ideo non illi meliores, quod nobis vtilia adferant, & diſtrahant: id enim potius ſui lucri quam noſtri cauſſa actitant. Licetque de mercatoribus dicere, quod Iſocrates Rhetor de Athenienſium ciuitate, *eos ſcortis ſimiles eſſe: etenim qui illarum venuſtate caperentur, velle quidem omnes rem cum ipſis habere: neminem tamen eſſe tam ſui ipſius contemtorem, qui matrimonium cum ipſis iungere dignetur*, vt refert Ælianus *lib. 12. de varia. hiſtoria. c. 3. P.* Cauſſas quæ ad mercaturam hos homines cõpellunt recte expreſſit Horatius *lib. 1. carm. Ode. 1.*

*Luctantem Icareis fluctibus Africum.*
*Mercator metuens, otium, & oppidi*
*Laudat rura ſui: mox reficit rates*
*Quaſſas, indocilis pauperiem pati.*

Et alibi, *Horat. 1. Epiſt. epiſt. 1.*

*Impiger extremos currit mercator ad Indos*
*Per mare, pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.*

Dauid. *Quoniam*, inquit, *non cognoui negotiationes, intrabo in potentias Domini: Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Pſalm. 70.* Et Eccleſiaſticus, *difficile exuitur negotians a negligentia, & non iuſtificabitur caupo a peccatis labiorum. Eccleſ. c. 26.*

9 ¶ Aliquando † Romæ nemini ciuium Romanorum licebat comparare, aut ſordida opificia exercere: ſed qui Romæ hæc faciebant, inquilini erant. *Dionyſ. Halicarn. lib. 9. antiquit. Roman.*
10 ¶ D. Hieronymus, † *mercatorem clericum quaſi peſtem fuge. c. negotiatorum, 88. diſt.* Prohibitum & in concilio Tarraconenſi clericis, ne negotientur, & ſi ſint, cohibeantur a clero. *ca. canonum ſtatutis, 14. q. 4. c. 1. ne cler. vel monach. ſecul. negot. ſe immiſce. 2. ad Timotheum 2. Nolite*, ait Dominus, *facere domum patris mei, domum negotiationis. diui Ioan. Euangeliſt. c. 2. Zachar. c. 14.* Zacharias prædixit. *Non erit mercator vltra in domo domini exercituum in die illa.*
11 *l. 2. & 4. de commer. & merca. l. 2. quæ res vend. non poſſ. C.* ¶ Prohibentur commercia & emtiones cum barbaris, & hoſtibus: ne ematur publica annona a priuatis, niſi in locis deſtinatis. *l. penulti.*
12 *quæ res vend. non poſſ.* ¶ Lex † Caroli Magni: Nullus comparet caballum, bouem & iumentum, vel alia, niſi hominem agnoſcat, qui vendidit, aut de quo pago eſt, aut vbi manet, aut quis eſt eius ſenior, *in capitularibus Caroli Magni, capitulari quod de niumacz,*
13 *d. c. penult.* quod iuri ciuili accedit, *l. inciuile, C. de furt.* ¶ Qui † domini non ſunt, ſuo nomine vendere nequeunt, vt in rebus alienis non alienandis paulo ante diximus, *& titu. de re. alien. non alienan. C. etſi quis alteri vel ſibi, C.* niſi vel procuratorio nomine pro aliis vẽdant, *l. Iulianus, §. ſi procurator, & §. ſi quis colludente, de act. emt. lib. 19. P. titu. 1.* vel emant, *l. 1. 3. l. multum intereſt, 6. & l. fin. C. ſi quis alteri vel ſibi, &c. lib. 4. C. titu. 50.* vel iuſſu aliorum, *vt in l. ſi liberam 10. & l. dominum, 12. quod cum eo qui in alien. poteſt. &c. lib. 4. C. tit. 26. toto titulo quod iuſſu.* Et generaliter domino cui licet donare, & de rebus ſuis libere diſponere, licet & vendere, *l. cui ius eſt, 124. de reg. iur.* paucis exceptis. *de quib. glo. in d. l. cui ius eſt.*

## De Laudimiis, ſeu de Obuentionibus aduentitiis fundi cenſualis ſeu beneficiarii.

### Cap. 16.

1 *Clientelare prædium non poteſt vendi ſine conſenſu ſuperioris domini.*
1. & 2. *Laudimiorum iure quantum præſtetur.*
2 *Venditio*, a prix d'argent, & a franz deniers, *quid.*
3 Quintz & requintz *in laudimiis quid.*
4 *Laudimia debita tantum ex vera venditione.*
5 *Laudimia ex quibus non debentur.*
6 *Laudimia num debeantur ex redhibitione gentilitia, vel pactitia.*
7 *Num ex Donatione.*
8 *Permutatione.*
9 *Re feudali.*
10 *Precarii conſtitutione.*
11 *Venditioni prædii, debet apponi in inſtrumento, cuius dominii ſit cenſualis.*
12 *Ex tranſactione.*

1 QVia de conſenſu † perſonarum præcedenti capite actum eſt, ordo poſtulat, vt de conſenſu dominorum agamus, *Quid emphyteoſis, docet §. adeo, loca. & l. 1. de iur. emphyt. C. l. 1. ſi ager vectiga. vel emphyt. peta. P.* qui prædia ſub cenſu ſeu penſione annua in emphyteoſin dederunt agricolis, vel aliis, vt per ſe, vel alterius induſtria, ſuis tamen ſumtibus excolerent. Et proinde quando hæc prædia, quæ in ſuperioris clientela ſunt, veneunt, cõſenſus patroni clientelaris beneficiarii habendus eſt: iſque interpellandus, num velit iure ſibi retinere, vel probare alteri factam venditionem. Huiuſque auctoramenti gratia, partem pretii rei venditæ quinquageſimam ab emtore recipit iure ciuili. *l. fin. C. de iure emphyt.* Cui tamen hodie conſuetudo longiſſimo tempore vſurpata, vel priuilegium, vel pactum, derogat, vt plus, minuſve ſoluatur, *l. 1. & argumento, l. 2. C. de iure emphyt.* & ita quod obtinuit ſingulari iure inſpicimus: conſuetudine namque Turonum duodecima pars pretii, vt viginti denarioli pro libra laudimiorum nomine, ſeu, vt dicunt, ventarum, ſoluitur, *in conſuetu. Turonenſ. c. des rachaptz & ventes, artic. 6. cap. 15.* receptum idipſum apud Bleſios, *in conſuetut. Bleſiorum, tit. de la matiere cenſ. artic. 36. 37.* apud Bituricenſes in laicorum cenſualibus, nam in eccleſiæ fundis beneficiariis debentur duo ſolidi pro libra. *in conſuetu. Biturig. tit. des couſtumes des fiefz, §. 18.* In aliis locis hoc quoque ſeruatur, alibi tamen diuerſo modo. Et longum eſſet me ſingula perſequi, quæ etiam abunde ſubminiſtrabit liber qui inſcribitur, *Le grand couſtumier de France.*

¶ Monebo † ſolum in iſtis cenſendis laudimiis, diſtingui inter 2
iura debita laudimiorum ex venditione facta *a pris d'argent*, & debita, ex venditione facta, *a francs deniers.* Nam quando fit *a pris d'argent*, ſoluuntur laudimia ab emtore iure communi, ſeu ex conſuetudine communi: at quando fit *a francs deniers*, id eſt, pecunia libera & non onerata laudimiis.

¶ Quando † videlicet venditor ſuſcipit onus ſoluendorum 3
laudimiorum, & vendit liberam rem a preſtatione laudimiorum, tunc dicunt ſolui *Quintum, & Subquintum*, nomine laudimiorũ domino cẽſuali, id eſt, *quint & rierequint du pris:* vt in hoc exẽplo explanatum habe: veluti ſi res veneat mille lib. liberis pecuniis, ſeu *a francs deniers*, quinta pars pretii, erunt ducentæ libræ: harum autem ducentarum quinta pars erunt quadraginta. Sic habes pro quinto & ſubquinto 240. libras, & ita ſi occurrant hæc verba intellige, in conſuetudinibus, *in conſuetudinibus de Paris, tit. des cenſiues & droictz ſeigneuriaux, artic. 24. 53. 55. & aux couſtumes d'Orleans, Meaux, Blois, &c.* & regiis conſtitutionibus, & in feudorum alienatione.

¶ Aduertendum igitur hæc laudimia integra, ſecundum con- 4
ſuetudinem locorum, deberi tantum ex vera venditione, quæ cõſtat pretio, & merce: non autem in aliis alienationibus, niſi quatenus accedunt emtioni, & pretium referunt, & vere alienationem faciunt.

¶ Proinde † non debentur laudimia ex remiſſione, quæ fit in- 5
ter ſocios coheredes, *Barth. in l. fin. de condictio furti. in P. Guido Papaus, in deciſ. 411.* nec ex emtione neceſſaria, *ita iudicatum dicit Ioannes Papus, lib. 13. Rhapſo. Areſtor. tit. 2. areſto. 22 argumen. l. Cæſar, de public. P. l. magna, C. de furt.* qualis accidit in diuiſione rei communis, quæ nonniſi ex licitatione fit, *§. eadem, de officio iudic. apud Iuſtin.* & in datione rei in dotem filiæ, etiam ſi res æſtimata ſit, *Aufrerius in quæſt. Tholoſ. 278. & ita iudicatum vt non debeantur ex illa datione, refert Papus d. lib. 13. tit. 2. areſto 24.*

¶ Et † in redhibitione ſeu retractu rei venditæ, ſi cum contra- 6
ctum eſt, eodem inſtrumento & tempore, pactitia redhibitio adiecta eſt, quia vna eſt venditio conditionalis, & ideo ſemel tantum laudimia debentur, *Papus dicto tit. 2. areſt. 23. arg. l. ſi pro fundo, C. de tranſacti.* contra ſi poſtea & pretio ſoluto redhibitio permiſſa. *l. ſi a me, ad leg. Falcid. in P. Tiraquell. §. 6. de retract. conuentio. num. 4. 7. 12. 19.* Quod & arbitror locum habere in redhibitione gentilitia: Nam ſi laudimia ſoluerit emtor, a quo proximus venditoris retrahit, tenetur emtori rependere, & rurſum ex retractu alia laudimia perſoluere: quia hæc retractio noua cenſetur venditio. *Albericus de Roſato in 1. parte ſtatutor. q. 95. & 96.* Et ita de conſuetudine ſeruari tradit Boerius *in glo. 1. §. 5. de retractu.* Imo & placuit eundem emtorem rurſum teneri ad alia laudimia, ſi proximus ceſſit emtori ius retractus, accepta pecunia, quod noua venditio cenſeatur per ſupplementum pretii. *notat Cyn. de Piſtorio, in l. 1. § ſecundo quæritur, de fideiuſſor. minor. C.* Et ita ſeruari idem Boerius de conſuetudine vult, *in d. glo. 1.*

¶ Num † autem pro donatione rei cenſualis debeantur laudimia, controuerſum aliquando, nec deberi voluit Speculator, *titu. de locato. §. 107. & 110.* & Petrus Iacobi *in praxi titu. de action. quæ pro re emphyteotica, quæ cadit in commiſſum, competit.* conſuetudine tamen Delphinali receptum eſt, dimidiata laudimia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dimia pro donatione deberi, & ita iudicatum. *Guido Pap. q. 48. Papus lib. 13. Rhapſodiæ Areſto. titu. 2. areſt. 19.*

8 ¶ Idipſum † & in permutatione traditur, vt iure ciuili non debeantur, ſed tantum ex conſuetudine Delphinali, media. *Guid. Pap. in d. q. 48.* Et ita in capel. Tholoſana concluſum, citra conſuetudinem non deberi ex permutatione ſimplici, vbi pretium non adeſt, laudimium. *diſput. Guid. Pap. deciſ. 92. & conſil. 46. Petr. Iacob. in praxi, tit. de libello actionis in rem, pro re emphyteoticaria, in fine. Iaſon tractat. de iure emphyteotica in l. fin. C. de iur. emphyt. q.*
9 60. ¶ In † regno Galliæ etiam, pro rei feudalis venditione, & pro inueſtitura, non accipiuntur laudimia a domino directo, excepta patria Delphinali, & aliis quibuſdam ſingularibus locis. *Guido*
10 *Pap. deciſio 415. num. 3. Petrus Iacob. titu de actio. in rem quæ pro re feudali competit.* ¶ Item † placuit, vt ex ſimplici conſtitutione precarii, aut alia ficta traditione, dominus directus non poſſit petere laudimia, antequam emtor adipiſcatur realem poſſeſſioné, cum laudimia de iure debeantur domino directo pro labore inueſtituræ, & vt in poſſeſſionem emtorem inducat realem, *Guid. Pap. queſt. 101. num. 3. per l. fin. C. de iur. emph.* & ante eam, poterit pro canone & penſione agere contra venditorem.

11 ¶ Cautum † conſtitutione regia, vt tabelliones, qui ſcripturas venditionum conficiunt, in illis exprimant cuius dominive directi clientela ſit quantumve cenſus nomine penditur, imminente commiſſo, *Guid. Pap. q. 24. num. 1.* a quo tamen venditor liberam rem exiſtimans, & pro tali vendens expreſſe liberam, excuſatur i-
12 gnorantia, quod doloſe non ſit inficiatus dominium. ¶ Non † debentur etiam ex Tranſactione, per quam res controuerſa relinquitur aliquo, quamuis dato penes antea poſſidentem, *Saxonius in conſuetudine Turoniæ titu. comme le fief ſe doibt offrir au ſeigneur, §. fin. colum. 1. Tiraquell. tract. de retract gentilitio § 1 glo. 14. num. 63.* contra ſi a poſſidente in non poſſidentem tranſeat. *prædicto loco Tiraquell. & expreſſe in conſuet. Andegauenſium, art. 360. Petrus Iacob. in tit. de action. in rem, pro re emphyteo. colum. 12. verſ. ſi res detur ex cauſſa tranſact.*

## De Forma quæ conſenſu per pacta accedit emtionibus, & venditionibus, de arrha, ſcriptura, de in diem addictione, de lege commiſſoria, & aliis quibuſdam.

## Cap. 17.

1 *Arrhæ datio quid efficiat in contractu emtionis, annulus pro arrha.*
2 *Scriptura de emtione conſenſu facienda ſuſpendit emtionem.*
3 *Addictionis in diem, pacti natura & forma.*
4 *Venditio per addictionem in diem, quid differat a conditionali.*
5 *Conditio melior in pacto addictionis in diem quæ ſit. Et quis poſſit offerre. num. eod.*
6 *Addictionis in diem duo ſingularia.*
7 *Venditio per addictionem in diem quando reſoluatur.*
8 *Fructus percepti, pendente addictione in diem cuius ſunt.*
9 *Commiſſoriæ legis pactum in emtione, quid.*
10 *Fructus percepti reſoluta emtione per legem commiſſoriam, cuius ſint.*
11 *Commiſſoriæ legis pacto, quando vti non poſſit venditor.*
12 *Commiſſoria lex reprobata in pignoribus.*
13 *Pactum, ſi res diſpliceat, ſit inemta, validum.*
14 *Redhibitionis pactum in emtione validum.*
15 *Pacta quæ adiici emtionibus poſſunt, ſeruanda.*
16 *Seruus venditus ne certo loco maneat, num pacto fieri poſſit. Aliaq; pacta ſeruorum venditorum, eod.*
17 *Simplæ & duplæ pro euictione pacta in emtione.*
18 *Habere licere promiſſio quid contineat.*

1 QVanquam conſenſu ſolo perficiantur emtiones & venditiones, vt monuimus, nihilominus ex conſenſu alia accedunt, quæ vel emtionem factam docent, vel modum adiiciunt, & vberiorem formam contractui. Et ex placito datur extra ſubſtantiam contractus arrha, quæ addit probationem futuræ emtionis, vel contractæ, & conueniſſe de pretio. *l. quod ſæpe, 35. de contrah. emt. P. §. 1. eod. apud Iuſtinia.* Verum hoc efficit arrhæ datio, vt liceat pœnitere poſt factam emtionem, antequam pretium & res tradantur: cum pœna tamen, vt ſi emtor pœniteat, arrhas datas perdat: ſi venditor, duplicet eaſdem emtori, *dicto §. 1. de emtio. apud Iuſtinia. de pacto arrharum, in l. 1. de pact. inter emtor. C. l. de lege commiſſoria, 6. & l. fin. de leg. commiſſo. P.* nulla tamen alia fit petitio eius quod intereſt, quando quis reſilit arrhis datis: nam accipiendo, vel dando arrhis, hoc conuentum videtur, vt liceat pœnitere tantummodo cum iactura, vel duplicatione arrharum, etſi nihil de hoc in arrharum traditione dictum ſit. *dicto §. 1. & ibi gloſſ. in verb. compellitur.* Sic qui emtionem tueri vult, non poteſt actione ex emto: quia eligendo ſibi præiudicium fecit, & ſibi viã præcluſit, *argum. l. quod in heredem, de tributoria in rem actio. P.* videtur enim arrha tantum ſponſionis perficiendæ pignus: quod & Plinius indicare videtur de annulis loquens. *Celebratior,* inquit, *quidem vſus ſcilicet annulorum, cum fœnore cœpiſſe debet argumento eſt conſuetudo vulgi ad ſponſiones etiamnum annulo exſiliente, tracta ab eo tempore, quo nondum erat arrha velocior: vt plane affirmare poſſimus, nummos ante apud nos mox cœpiſſe annulos. Plinius libro 33. cap. 1.*

¶ Affinis † eſt conſenſus de ſcriptura emtionis facienda, ante 2
cuius perfectionem, antequam videlicet a tabellione fuerit recepta, & in mundum tranſlata, non dicitur emtio perfecta: non quod ex ſcriptura pendeat emtionis ſubſtantia, ſed quod de ea conſenſus placitus fuit. *§. in his autem, de emtio. l. contractus, de fide inſtrumentor. C.* ¶ Tertio † ex conſenſu additur forma pacti addi- 3
ctionis in diem, cui modus non conditio ineſt, quamuis illud ſub conditione reſoluatur, *l. 2. de in diem addictio. lib. 18. P. tit. 2.* Eius pacti exemplar eſt: ille fundus cẽtum eſto tibi emtus, niſi quis intra calendas Ianuarias proximas meliorem conditionem fecerit, quo res a domino abeat. *l. 1. de in diem addict. P.* Emtor qui hoc modo emit, ante oblatam conditionem meliorem, dominus rei eſt, rem vindicare, & pignori dare poteſt: meliori tamen conditione oblata, pignoris cauſſa deſinit. *l. ſi ex duobus, 6. P. §. ſed & Marcellus, de in diem addictio.* item & interdicto quod vi, aut clam vti poteſt. Et in ſumma, commodum & incommodum omne ad eum interim pertinet, quamdiu nullus exſiſtat, qui meliorem conditionem adferat, vel falſus, qui offerat, exſiſtat. *l. eum qui emit, 7. l. item quod dictum, 9. eod. tit. P.* Verum exſiſtente offerente meliorem, fructus refundere debet vẽditori emtor, quos perceperit ex re, eique omnes cedere actiones, *proxime citatis ll. item, & item quod.* a quo tamen repetet pretium ſolutũ, *l. fin. de in diem addict.* & quæ legitime in rem impenderit, *l. Imperator Seuerus, eo. titu.* & ex Iuliani ſententia, is cui res in diem addicta eſt, vſucapere poteſt, & fructus, & acceſſiones lucrari, cum periculum ad eum pertineat, ſi res interierit. *l. 2. eo. tit.*

¶ Quoniam † poſt interitum rei, iam nec adferri melior con- 4
ditio poteſt. *l. 3. eo.* Quod longe diuerſum in conditionali venditione, in qua vſucapere emtor nõ poteſt, nec fructus ad eum pertinent. *l. 4. eod. l. 2. §. ſi ſub conditione, pro emtore.*

¶ Porro † melior conditio offerri videtur, ſi pretio fuerit ad- 5
iectum, aut ſi fiat ex ſecunda emtione locus opportunior, vel ſolutio facilior, vel perſona magis idonea emtoris ſecundi, ſi leuioribus ematur conditionibus: & breuiter, ſi quid vltra priorem venditionem ad vtilitatem venditoris in ſecunda fiat, melior dicetur conditio, *l. eum qui emit, § fin. & quidquid enim, de in diem addi. facit §. plus, de actio. c. 1. de petitio.* idoneuſque emtor non tam ex patrimonio, quam ex fide exiſtimatur. *l. ſi quis ita ſtipulatus, § fi. de verb. oblig. l. fideiuſſor locuples, qui ſatiſda. cog. P.*

¶ In † hoc pacto duo ſingulariter obſeruanda ſunt. Primum, 6
quod venditor qui dicit ſe inueniſſe meliorem venditionem ſecundi emtoris, certiorem faciat priorem emtorem: Eo quod in poteſtate prioris ſitum eſt, tantundem offerre, vt ita ſecundo præferatur, pari oblata conditione. *l. Pomponius, in l. licet, 10. & l. in l. neceſſe eſt, 11. de in diem addict.* Alterum, quod reſoluta priore venditione, per meliorem oblatam conditionem ſecundæ, addictione, fructus qui percepti ſunt a priore emtore, qui reſtitui debent, venditoris ſunt, neque tranſeunt in ſecundum emtorem, niſi aliter cautum ſit. *l. ſi venditor, 17. §. fin. de in diem addict. l. item quid dictum, 9. eod. l. Valerius Patronus, 50. de iure fiſc. lib. 49. P. titu. 14.* Item & illud ſingulare, vt exſtincta vel interemta re vendita principali, fructuum nomine vel acceſſionum, addictio fieri non poſſit: quia alterius rei, quam eius quæ diſtracta eſt, non ſolet addictio admitti *l. ſi res, 5. de in diem addict.* niſi ex duabus rebus venditis, altera adhuc ſuperſit, *l. ſi ex duobus, 6. eod.* pro parte denegata quoque addictione. *l. quod autem, §. fin. cum 3. ll. ſeq. eod.*

¶ Perſonæ † quæ meliorem conditionem offerre poſſunt, & 7
quibus addicere poteſt venditor, diſtinctionem non habent, ſi modo ſint ad contrahendum alioquin idoneæ, & ſubſiſtat emtio

ſecunda, *l. ſi venditor*, 17. §. *ſed et ſi, eo.* & vere offerant: nam falſus emtor ſubiectus priori, non nocet. *l. eum qui, §. cum igitur, de in diem addict.* Itaque & ipſe emtor, licitatione vincere poteſt, & ſeipſum, & ſecundum emtorem, & ita vti in diem addictione: & ſi duo eo pacto emerint, alter illorum offerre meliorem conditionem poteſt, & addictione vincere, *l. quod ſi vno*, 16. §. *verum eſt, eod. tit.* & reſoluitur venditio prior, videlicet ſi venditor oblatam meliorem conditionem admittat, non aliter: quia in eius poteſtate eſt reiicere, niſi actum quoque ſit in pacto, vt oblata meliori conditione liberum ſit priori emtori reſilire. Nam tunc oblata meliore, volente emtore, etiam repugnante venditore diſſoluta erit emtio prior. *l. Sabinus*, 12. *de in diem addict.* Cauendum tamẽ eſt, vt notat Paulus, ne emtor alium non idoneum emtorem, qui ſoluendo non eſt, ſubiecerit, cui maiori pretio res addicta eſt. Nam tunc datur actio venditori aduerſus priorem emtorem, & pro fructibus, & quanti ſua intereſt non eſſe id factum, vt & ſi deterior res facta eſt. Si autem nec emtor, nec venditor ſubiecerint eum, qui cum idoneus non eſſet, tamen pluris ei addicta eſt res, abitum eſt a priore emtione. *Paulus in l. ſi venditor*, 17. *de in diem addict.*

8 ❡ Quod † ſi emtor ipſe primus licitatione ſecundum offerentem meliorem conditionem vicerit, & tantundem obtulerit, illud dignum obſeruatione eſt, vt ex noua emtione cenſeatur dominus: & ita fructus ante perceptos reſtituere cogatur a priore emtione venditori, & *l. Sabinus*, 12. *de in diem addict. P.* præter corpus, nihil ſequitur quod venierit: *l. ſi venditor*, 17. §. *præter, eod.* Si autem intra certum tempus pacto placitum non offeratur, melior conditio, pura emtio cenſetur: & a tempore emtionis facit fructus ſuos. *l. 2. de in diem addict.*

9 ❡ Quarto † loco ex conſenſu forma emtioni datur, per pactum legis commiſſoriæ. Lex, *lex, id eſt, pactum l. 1. §. ſi conueniat, depoſiti, l. legem quam dixiſti, C. de pact.* commiſſoria, eſt pactum in pura venditione, quæ tamen ſub conditione reſolui poteſt, *l. 1. de lege commiſſor. lib.* 18. *P. tit. 3.* ea lege factum, vt ſi ad diem dictam pecunia ſoluta non ſit, res ſit inemta, *l. 2. eod. titu.* ſcilicet ſi venditor, in cuius fauorem hoc pactum ſit, inemtam eſſe velit, non aliter. *d.*
10 *l. 2. & 3. eod.* ❡ In † qua lege hoc agi intelligendum eſt, vt emtor rei emtæ ſibi, ſuoque iure fructus percipiat. Sed ſi res reueniſſet, vt vtar verbis Neratii Iuriſconſul. id eſt, per conditionem redeat ad venditorem, non ſoluto, intra tempus conſtitutum, pretio, de his datur iudicium in emtorem. Quod nihil penes eum reſidere oporteret ex re, in qua fidem fefelliſſet, *Neratius in l. fundo. dict. l. 5. de leg. commiſſ.* niſi partem pretii emtor iam ſoluiſſet, & illud perdat, nõ ex ſoluta fide, quemadmodum fit de arrhis. §. 1 *de emt. apud Iuſtin.* Nam tunc Neratii humanior ſententia viſa eſt, vt qui ita perdidit, fructus interdum lucretur, *l. 4. §. 1. eod.* ſiquidem plerunque in emtionibus dantur arrhæ, vt dixi, quæ, ſi intra definitum tempus non ſoluatur pretium, reſoluta emtione, remanent penes venditorem. *l. de lege commiſſoria, 6 eod. l. 1. de pact. inter emt. & vend. C. lib. 4. tit.* 54.

11 ❡ Ceterum † cum in ſolius venditoris poteſtate ſit, vti effectu huius pacti, *d. l. 2. & 3. de in diem addict.* eleganter reſpondit Papinianus, ſtatim vt commiſſa lex eſt, hoc eſt, vbi aduenit dies conſtituta ſolutioni, & ea facta non eſt, ſtatuere venditorem debere, vtrum commiſſoriam velit exercere, an potius pretium petere: nec poſſe, ſi commiſſoriam elegerit, poſtea variare. *l. ſi fundus*, 4. §. *eleganter, eodem.* Quamobrem, ſi poſt diem lege commiſſoria comprehenſum venditor legem dictam non exercuit, ſeu partem reliquæ pecuniæ accepit, videtur receſſiſſe a commiſſoria. *in dict. l. de lege commiſſoria*, §. *fin.* Idipſum quoque ſi poſt diem debitum *l. pen. eod.* pretium, vel vſuras pretii, *l. 4. C. de pact. inter emt.* petiit, nec poſtea ad eam redire poteſt. Simili modo, ſi die ſtatuta, vel ante, emtor obtulit pretium, vel abſente venditore, ſe ſolutioni faciendæ paratum eſſe conteſtatus eſt, & pecuniam conſignatam depoſuit, euitabit legem commiſſoriam. *l. 4. § fin. & l. fin eod.* Cui rei ea quæ de mora anteuertenda dicuntur, conuenire poſſunt. *ex l. traiectitia, de actio. P. l. acceptam, de vſur. C. l. obſignatione. C de ſolut.* Quod & in aliis ſimilibus caſibus ſtatuendum, quibus conſtabit per emtorem factum non eſſe, ſeu non ſtetiſſe, quominus ſolutio fieret: nam quemadmodum factum eius, mortuo venditore, ſi cum poſſet ſoluere tutor pupillis venditoris datus, non ſoluit, ei nocet, quia per eum ſtetit, *l. Seius*, 10. *de reſcinden. vendi. lib.* 18. *P. tit.* 5. nec moram purgat, *l. traiectitia*, 12. §. *fin. de act. P.* ita contra, ſi per eum non ſtetit, nocere ei lapſus temporis non debet. Diſſoluta per legem commiſſoriam emtione agit venditor actione ex vendito pro repetitione rei venditæ & traditæ, item & rei vindicatione *l. 3. & 4. C. de pact. inter emtor, l. ſi quis hac, de rei vindic. P. l. ea lege, de condict ob cauſ.* Eademque actione ex vendito repetit fructus ex re perceptos, & in quantum deterior facta ſit res. *l. 4. de lege commiſſ. P.* Item ſi conuentum ſit in eo pacto, vt ſi eandem rem alii venderet venditor, quanto minoris a priori repetat. *dict. l. 4. §. in commiſſoria, l. ſed Celſus*, 6. §. *ſi fundus, de contrahen. emt. in P.*

❡ Hoc † pactum legis commiſſoriæ in emtionibus probatum 12
eſt, at in pignorum conſtitutione reprobatum, vt impium: vt ſi quis ita pignus ob pecuniam datam mutuo acceperit, ſi intra certum tempus pecunia ſoluta non ſit, pignus repeti non poſſit. *l. fin. de dictis pignorum, & de lege commiſſoria in pignorib. reſcindenda, lib. 8. C. tit.* 35. *c. ſignificante, c. 7. de pignor. lib. 3. Decretalium, tit.* 21.
Quinto, † aliud pactum adiici poteſt emtioni, vt ſi res vendita, diſ- 13
plicuiſſet emtori intra certum tempus, redderetur: ratione cuius, actio ex emto eſt, vel proxima in factum datur. *l. ſi conuenit, 6. de reſcind. vend. P.* Si enim res diſplicuerit, ſub conditione venditum reſoluitur, & redhibitoria actio aduerſus venditorem competit, *l. pen. de adil. act. C. lib. 4. tit.* 58. valetque hoc pactum & ad tempus certum conceptum, ſi intra diem certum diſplicuerit: & in perpetuum, ſi in perpetuum diſplicuerit: & ſine tempore quo caſu num diſpliceat intra ſexaginta dies exprimendum eſt. *l. quod ſi nolit*, 3. § *ſi quid ita venierit, de adil. edict. lib.* 21. *P. tit.* 1.

❡ Sexto, † aliud pactum redhibitionis adiicitur, quod vocant 14
pactum de retrouendendo, vel reemere, de quo poſtea, Deo fauente, dum de redhibitione agetur. Eius forma eſt, vt emtor rem reſtituat, ſi intra certum tempus ei pretium reſtituatur, vel
quandocunque reſtituetur. *l. 2. de pact inter emtor. & vendi. C.* ❡ In † 15
ſumma alia pleraque pacta, tempore contractus inter emtorem & venditorem poſſunt fieri, quæ ſeruanda ſunt, ſi iure non reiiciantur, & ab emtione poſteriore pacto non recedatur, *l. penult. de pact. inter emt. & venditor. C.* obſeruatis pactis quæ addunt, vel detrahunt emtioni ex diſtinctione Papiniani. *in l. pacta conuenta*, 72. *de contrah. emt. C.* Meminit ius ſingulariter de pacto valido in venditione ſerui, ne aliquo loci maneat propter ſecuritatẽ domini, *in l. 1. de ſeruis exportand. lib.* 18. *P. tit. 7. l. 13. & fin C. eod. tit. lib. 4. tit.* 55. vtque exportetur, *l. 2. eod. tit.* ſi interſit vendentis, non aliter, *l. ſeruus ea lege*, 7. *eo. tit. P.* ſi ita veneat vt manumittatur, *l. quæſitum*, 8. *& l. fin. eod. toto tit ſi manci. ita fuer. alien. vt manumitta. lib. 4. C. tit.* 57. ſi mancipiũ veneat ea lege ne proſtituatur. *l. 1. & toto tit. ſi manci. ita veneat ne proſtituat. lib. 4. C tit.* 56. Item de cautione ſeu ſtipulatione ſimplæ, qua euictionis nomine ſimplum pretium venditor reſtituere promittebat. *l. euicta*, 16. *de euictio. P. & l. eui-*
*cta*, 70. *& l. ſi in venditione*, 60. *eod. tit.* ❡ Et † de dupla re, ſeu pretio 16
rei reſtituendo in cauſſa euictionis, quando res pretioſiores venduntur, non in aliis, *l. emtor*, 37. *de euictio. lib. 31. P tit. 2.* pro qua etiam conueniri poteſt vt ſimpla, & duplum, & triplum, aut quadruplum promittatur, agiturque eius nomine ex emto, etiam ſine ſatiſdatione, ex nuda repromiſſione, niſi aliud conuenerit, vt vtrumque docuit Paulus, *in l. ſi dictum*, 56. *eod. tit. de euict.* & Herennius, *l. ſi plus*, 74. *eod. tit.* ❡ Sed † & hæc cautio pro euictione, vbi nihil dictum de ea eſt, ex conſuetudine locorum, vbi fiunt
contractus, legem accipit, ex reſponſo Caii. *l. ſi fundus, 6 eod. titu.* 17
Qua in re etiam diſtinguitur, de modo ſtipulationis, num ſit habere licere per venditorem & heredem eius: quo caſu non tenetur, niſi pro pretio, ſi ab alio, quam a ſe, vel herede ſuo euincatur: ſi tamen & per ſe, & per alias perſonas omnes non fieri, quominus rem habere liceat, promiſerit, quanti emtoris intereſt non habere, etiam ex facto alterius, vltra pretium tenetur. *l. emtorem*, 12. §. *qui autem, de actio. emt. P. l. ſtipulatio iſta, de verbor. obliga. P.* Accedit & emtioni ſeruitutum, in quibus vacuæ poſſeſſionis traditio, vt incorporalium, nulla eſt, cautio illa patientiæ, quæ inſtar eſt traditionis, per venditorem ſeruitutis per ſuum prædium eundi, quominus emtori ire agereque liceat. *l. 3. §. ſi iter, de act. emt. P.*

## Cuius ſit naturæ, ſuperioribus legibus definita emtio & venditio, & de fine eius.

### Cap. 18.

1 *Synallagma contractum quid.*
2 *Duo genera eius.*
3 *Emtionis vis, & quomodo differat a donatione.*
4 *Emtionis contrahenda finis.*

Emtio

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Emtio quomodo dominium transferat, eod.*
5 *Venditione duobus eiuſdem rei facta, an traditio in ſecũdum dominium transferat.*
6 *Conſtitutum eius eſt natura contractus cui accedit.*
7 *Clauſula, &c. notariorum quas clauſulas contineat.*
8 *Emtæ rei cuius periculum, vel commodum.*

1 NOn dubium † eſt, emtionem eſſe ex contractuum numero qui συνάλλαγμα habent, id eſt, vtrinque obligationem, *l. Labeo, §. contractus, de verb. ſign.* συνάλλαγμα porro Græcis, proprie, quãdo permutatione exercetur commercium, vt & illis ἀλλάσσω, & Attice ἀλλάττω, muto & ἀλλάττομαι, permuto, commuto, vnde τὸ ἄλλαγμα, & ἀλλαγὴ & ἄλλαξις commutatio: & compoſitum συναλλάττω paciſcor, ſcilicet interueniente commutatione, & συνάλ-
2 λαγμα. ¶ S c † Ariſtot. 5. Ethic. ad Eudemum, duo genera facit συναλλαγμάτων, ἑκουσίων & ἀκουσίων, voluntariorũ, & non voluntariorum. Voluntaria eſſe dicens, emtionem, venditionem, fœnerationem, &c. quæ inter volentes fiunt. Inuoluntaria autem, vt, furtũ, veneficium, adulterium: quæ quidem fiunt a volentibus, ſed quæ
3 inuitos obligant ad pœnam dum contrahunt. ¶ Emtio † itaq; maxime συνάλλαγμα eſt, quia ea res fit emtoris, pretium venditoris. Quo nomine diſtat a locatione, in qua non tranſit dominium in conducentem, *l. conuenit, 65. de contrah. emt.* Diſtat & ab aliis contractibus, quibus ex altera tantum parte obligatio naſcitur, vt in donatione, in qua qui donat, obligatur ad dandum, *l. Ariſt. § fin. de donatio. l. ſi quis argentum § ſin autem, C. eod. tit. l. ad res donatas, de ædil. edict. cap. ſi tibi abſenti, de praben. in Sex.* at is cui donatur, ſi nolit, non cogitur accipere, *l. inuito, de reg. iur. P.* Proinde cum quis pretium rei ponit, non exacturus, donationis cauſſa, non videtur vendere, *Vlp. in l. cum quis, 36. de contrahen. emt. l. 3. & l. emti fides, 9. §. fina. C. eod. tit.* non eo tamen inficias, commiſceri poſſe donationem & emtionem, *Vlpia. in l. ſi quis donationis cauſſa, 38. de contrah. emt. P.* Item emtionis contractus eſt, nominatus, habens nomen elegans & proprium, prout ab aliis emtionibus generali nomine intellectis explicatur, *l. iuriſgentium, de pact. P.* bonæfidei, *Vlpia. in l. ex emto, 11. de act. emt. P.* vt valde & ei ad interitum vſq; officiat dolus, *l. ſi dolo aduerſarii, 5. de reſcinden. ven. C. l. eleganter,*
4 *de dolo, vide quæ in libro generali conuentionũ de dolo diximus.* † Finis ad quem dirigunt actum contrahentes in emtione, eſt, vt emtor det pretium, & faciat eius dominum venditorem, *l. ex emto, de contrahen. emt. § 1. de auctor. tuto.* & venditor faciat dominum emtorem rei, eamq; tradat ideo eaque eſt intentio, *l. cum manuſata, §. fin. de contrah. emt. l. contractus, de fide inſtrumentorum, § 1. de emt. apud Iuſt.* Tale autem ius transferre venditor debet, quale vendit: non tamen rem emtoris præciſe facere tenetur, *l. ſi ita, 25. de contrah. emt. P. l. etſi, 15. eo. tit.* ne propter difficultatem, quæ eſt in probatione dominii, *l. 3. C. de ſponſalib.* impediatur hic contractus, maxime commerciis vtilis. Quare & res aliena vendi poteſt: quamuis res auferri emtori a domino poſſit, *Vlpia. l. rem alienam, 28. de contrah. emt.* Neque ideo emtio corruit, quod euincatur res: nam ex eadem agitur pro euictione, per quam proſpectum emtori pro repetitione, in quantum ſua intereſt, *l. in vendendo, 66. de contrahen. emt. P. l. ex emto 11 de act. emt. P.* Sic qui vendit ſe obligat ad tradendum: & ſi dominus eſt, rem tradendo ſtatim dominum emtorem efficit, *d. l. ex emto.* ſi pure vendat nec iure communi licet pœnitere impune: & neceſſitatem habet implementi perfecta ven-
5 ditio, *l. ſicut de actio. C. l. 3. de reſcin. ven. C.* Veruntamen † venditor ante traditionem dominus remanet, & quamuis per actionem ex emto cogi poſſit, præciſe, ſi poſſit, tradere: tamen interim alii poteſt vendere, & dominium in eum tradendo transferre: & ſic ex emto actione a priore emtore cogetur quanti ſua intereſt præſtare, *l. qui tibi, 6. de hered. vel actio. ven. C. l. quoties, de rei vin C. l. ſi ancillam, 11. & l. ſi pater 8. de actio. emt. C. l. ſi tibi, C. de iis qui a non dom. manumiſſi ſunt, l. Quintus, de actio. emt. P.* aliiſque pœnis, vt lege Cornelia de falſis, *l. qui duob. ad leg. Cornel. de falſ.* Attamen dura hæc mihi videtur ſententia, vt non obſtante prima venditione, liceat domino rem vendere alteri, & tradendo dominium trãsferre. Duram porro arbitror, quod non liceat, vt fatentur omnes, perfecta emtione pœnitere, niſi arrhis datis, & amiſſis: & iam videatur perfecta emtione deſiiſſe dominus, nec amplius poſſidere ciuiliter. Sed huic morbo remedium facile adhibitum eſt; vt in prima venditione, in qua traditio realis non eſt, fiat ficta, & conſtitutum, quo venditor transferat poſſeſſionem per traditionem inſtrumenti, vel alterius rei, & conſtituat ſe precario & nomine ementis poſſidere: quo caſu aduerſus hanc venditionem ita factam primam, nihil obeſt, pactum aliud, vel venditio, vel traditio alteri a venditore facta, *in l. ſi per fundum, quemadmod. ſeruit. amit. l. ſi quis, § ſin autem, de donat. C.* & ſic conſtitutum transfert poſſeſſionem, *l. quadam mulier, & ibi glo. Bartho. Angel. & alii de rei vindicat. P. l. quamuis, §. 1. & ibi Angelus, de acq. poſſ. l. quod meo, & ibi Barth. eo. tit. l. certe, §. 1. de preca. ca. cum veniſſent, & ibi glo. & doctor. de reſtitut ſpolia.* & dominium, & alia quæ ſuo loco diximus, pro traditione haberi. Et fortius conſtitutum eſt pacto de non alienando: nam per illud non impeditur dominii in alium translatio, *l. ea lege, de condict. oblig. cau. C.* etiam ſi dictum fuerit, vt re alienata redeat dominium ad priorem dominum, tametſi vltra dictum fuerit, vt is in quem res ea lege, transfertur, conſtituit ſe nomine cedentis poſſidere, & alienauerit, continuo dominium ad priorem redit, *Odofredus, Dynus, Paulus Caſtrenſis. Bartholomeus,* 6
*Alexander, in d. l. qui abſenti. §. 1. de acqu. poſſeſſ.* Singulare † itaque, quod notat Oldradus, *conſ. 139. incip. ad habendam aliquam notitiam, &c.* Conſtitutum eſſe de natura contractus, per quem quis intendit transferre dominium: & conſuetum quoque apponi id, per quod mens efficacius aſſequitur ſuum finem ſeu effectum, *l. ſi quis locuples, de manumiſſ. teſtamen. l. quiſquis de lega. 3. l. 1. circ. med. com. de lega* Ideo † omiſſum pro appoſito haberi & contineri ſub 7
illa abbreuiatione notarii, & cetera, qua omnes conſuetæ clauſulę continentur: etiamſi a contrahentibus non ſit expreſſum, vt ait Socinus, *conſil. 239. incipiente, ſed ad hanc, lib. 2. & conſ. 231. lib. 4. incip. præſentis conſultationis, vide hac de quæſtione late Tiraquellum, tracta. de iure conſtituti, parte 3. limita. 31. nu. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.* ¶ Hæc
† ſentẽtia vel ex eo præter interpretum rationes, videtur æquiſſi 8
ma, quod natura emtionis ſit: vt poſtquam perfecta eſt, ſi ea pura ſit, periculum rei & commodum ad emtorem pertineat, *l. 1. 2. penul. & fina. de peric. & commo. rei ven. C. l. fructus, C. de action. emt. §. cum autem, de emtio. ap. Iuſtinia.* ſi res certa & in indiuiduo vendita ſit, non ſi in genere, ſeu in ſpecie; nondum per indiuidua diſtincta, per menſurationem, vel alia certitudine, *l. ſi in venditione, 10. §. 1. de pericul. & commo. rei ven.* quanquam res emtori tradita non fuerit, *d. §. cum autem, l. fin. C. de pericul. & commod. rei vend. lib. 4. tit. C. 48.* vt eius interitus pro traditione habeatur in præiudicium emtoris, *l. cum emt. l. 5. §. mortuo, de reſcinden. vend. P.* dummodo cuſtodiam ante traditionem venditor præſtet, *l. eum qui emit, 14. de fur. P. l. venditor domus, 37. & ſequen. de act. emt. P.* nec ſit in culpa, dolo, moraue tradẽdi, *l. cum inter emtorem, 4. C. de peric. & commo. rei ven. l. illud, & l. cuſtodiam, & l. ſi vendita, eod. tit. P.* vel delicto ſuo non adimatur, *l. ſi fundum loca. P.* Quorſum igitur iuſte dici poterit eum dominum non eſſe, cui res perit? & ſi ſit, qua fronte admittemus venditionem rei alienæ, ſi qui vendit antea, vendita eadem iam deſierit ſuo periculo tenere? Quid intereſſet inter puram & conditionalem venditionem, in qua, ſi res ſub conditione vendita pereat ante conditionis implementum, damnum, ſicut & fructus pertinent ad venditorem? *l. neceſſario, §. quod ſi pendente, de periculo & commo. rei vend. in P.* niſi emtor periculum in ſe, huius temporis, ſuſceperit, *l. ſi in venditione, eod. tit. de pericu. & commo. P.*

## De Actione emti, & venditi.

### Cap. 19.

Lib. 19. P. tit. 1. Lib. 4. C. tit. 49.

1 *Emtionis & venditionis actiones ciuiles & prætoriæ.*
2 *Emti & venditi actiones pro quibus competunt.*
3 *Acceſſiones quæ ſint rebus venditis.*
4 *Emti & venditi actio, quibus perſonis datur, aduerſus quos, & ad quid.*
5 *Æſtimatoria actio quæ, & pro quo detur.*

ACtiones † ex emtione, ciuiles & prætoriæ proditæ ſunt. 1
ciuiles emti, venditi, *l. proinde, l. 33. de ædil. edict.* & vtiles. Prætoriæ redhibitoria, æſtimatoria quanto minoris, ædilitia in factũ.
¶ Actiones † emti & venditi primum competunt, vt fides con 2
uentionis, & lex impleatur: quod ſi nihil conuenit, tunc ea præſtabuntur, quæ naturaliter inſunt huius iudicii poteſtate: vt res emtori tradatur, pretium venditori, *l. ex emto, 11. l. 1. & 2. de act. emt. Paul. l. in emtionibus, 44. de pact. P.* vt habere, licere emtori caueatur, & poſſeſſio detur, vel in id quanti intererſit condemnetur, *d. l. ex emto, § ex emto, & l. 1. eod.* a tempore moræ, id eſt, ab ea die qua ſine difficultate tradere potuiſſet, *l. 3. §. fin de actio. emt. P.* Si quid circa venditionem celauit emtorem ignorantem, & improbato more in eo verſatus, *d. l. 1. § 1. eo.* vt præſtet quanti intereſt emtoris: vt ſi celauerit fundum vendens, ſeruitutem, *d. l. 1. §. 1. & l. quæro, 40. §. cum hoc, l. in vendẽdo, 66. de contrah. emt. P.* ſi vas non integrũ pro

integro, vnde effuſum quid ſit, vendidit, l. tenetur, 6. § ſed ſi vas, de
actio. emt. ſi ſeruitutem deberi mentitur, l. ſi quis fundum emerit,
36. de actio emt. P. vel qualitatem iugerum, l. ſi fundo, 35. eo. Et bre-
uiter, ne exemplorum obruamur turba, ſi diſſimulet venditor rei
conditionem, onus, vel vitium, vel obſcure loquatur, hac actione
conuenietur, l. ea quæ commendandi, 43. de contrahen. emt. P. l. Iu-
lianus, 14. § idem Julianus, de actio. emt. P. l. ſi ſterilis, §. 1. & l. quæro,
40. eod. tit. l. quod ſi nolit, 31. §. qui mancipia, de ædilit. edict. Repeti-
tur & per hanc actionem ex emto ab emtore, omnis acceſſio rei
venditæ, & fructus etiam, ſi pretium non fuerit numeratum, ſe-
cundum noſtros, ſi modo conſtitutum, & fides de pretio fiat: at
ſecundum Paulum, a tempore tantum pretii numerati, Paul. lib.
2. Receptar. ſententiarum, tit. 17. l. 3. § 1. & l. ex emto, § ſi quis, de actio.
emt. P. l. pen. C. eod. facit l. Iulianus, § offerri, de actio. emt. ¶ Acceſſio-
3 nes † ſunt quæ accedunt rebus venditis communiter, l. qui fundũ,
40. §. qui agrum, de contrah. emt. P. l. æde ſacra, 37. §. fi. & l. in lege fun.
77. & l. cũ manu ſata, 80. eo. de contrah. emt. cũ ſim. & ſi nihil dictũ ſit,
propterea quod ſit hoc iudicium bonę fidei: niſi nominatim quę-
dam excipiantur, vt ædibus venditis, veniunt putealia, & partes
earum, funes, labra, fiſtulæ ſalientes, feræ, claues, clauſtra, &c. in l.
Iulian. 14. § ſi. cum 4. ſeq. de act. emt. P. l. qui fundum, 40. § fin. & l. &
quanquam, 49. de contrahen. emt. cum ſimil. vendita piſcina, piſces,
l. funes, 16. eod. tit. fundo vendito, ſterquilinia, ſi eius cauſſa parata
ſtramenta, & quod intra ſe tenet, l. fundi, in prin. & §. 1. eo. aqua &
iter ad aquam, l. qui fundum, 40. §. in lege fundi, de contrah. emt. P.
& ſic de ſimilibus, & ſi quid aliud acceſſurum præter naturam re-
rum, dixerit venditor, l. ſi in emt. 34. l. qui fundum, 40. §. in l. lege,
compræ. 60. l. fin. cum fundum, 68. de contrah. emt. P. l. tenetur, 6. §. ſi
tibi iter, l. ſi quis cum fundum, 27. & l. quicquid, 28. de actio. emt. P.
cum ſimil. Petitur & per hanc actionem ab emtore, omne com-
modum quod poſt venditionem rei venditæ acceſſit, vt partus, &
alia, l. ſed etſi quid, 31. de contrah. emt. P. l. Iulianus, 14. §. ſi quid, de act.
emt. P. l. pen. C. eo. tit. l. ſi ſtipulatus, 4. § ſi vero poſt, de vſur. 22. P. tit.
1. l. Thais 41. §. Lucia Titia de fideicommiſſ. liberta. lib. 40. P. tit. 5. fru-
ctus, medio tempore poſt emtionem & ante traditionem a ven-
ditore percepti, l. fructus, 13 de actio. emt. C. cum l. manuſata. 80. §.
ſylua, de contrah. emt. l. videamus 38. §. ex cauſſa emtio. de vſur. in P.
cum ſimil. vel pendentes, niſi aliud excipiatur, l. Iulianus, 14 § ſi fru-
4 ctib. de actio. emt. ¶ Datur † emtori proculdubio, l. 3. & l. qui alien.
pecunia, 8. ſi quis alteri vel ſibi, lib. 4. C. titu. 50. & dominis quoque
communis ſerui ementis, non tamen alteri illorum volenti agere
pro parte, l. quod ſi nolit, 31. § idem Marcellus, de ædilit. edict. P. & l.
bouem, 43 § fina. eod. titu. l. cum fundus, 31. §. ſeruum, de reb. cred. in P.
Agunt & ex emto domini, & patres, pro emtione facta ab iis, qui
eis iurique illorum ſubiecti ſunt, l. cum per eos, 7. ſi quis alteri vel ſi-
bi, C. datur & emtori cui inſcio res aliena vendita, l. ſeruus quem,
31. § fin. de act. emt. P. Datur & aduerſus ipſos contrahentes, & eius
heredes, l. ex contractu, 49. l. creditor. 54. §. prædium, de actio. emt. Et
ſi procuratorio nomine alius quam dominus vendidit, & actione
vtili in dominum agi poteſt, l. Iulianus, §. ſi procurator, eod. titu. P.
agitur & pro euictione, de qua paulo poſt, Deo fauente: & pro do-
lo, l. emtorem, l. 12. §. denique, & §. ſeq. de act. emt. in P. Actione ven-
diti experitur venditor, vt conſequatur quæ ei emtorem præſtari
oportet, vt pretium quanti res emit, item vſuras pretii poſt diem
traditionis. Æquum enim eſt cum re emtor fruatur, vſuras pretii
pendere, d. l. Iulianus. § ex vendito, §. pretium de emt. apud Juſtinia.
l. libertatis, §. 1. de vſur. P. l. 2. C. eod. tit. vel fructus, ſi percepti non
ſint, cum vſuris pretii compenſabuntur, l. curabit, 5. de act. emt. C.
Tradita namque re vendita, quamuis ſolutum non ſit pretium,
non datur condictio, vel repetitio rei, ſed agitur vt pretium ſolua-
tur, l. ſi non donationis cauſſa, 8. C. de contrahen. emt. quia non in
rem actio eſt ex vendito, ſed perſonalis, l. 1. C. de actio. emt. Neque
ideo reſcinditur emtio, cum actio ſuperſit pro pretio repetendo,
in l. venditi actio. 6. de actio. emt. C. & pro vſuris poſt moram repe-
tendis, officio iudicis, l. fructus, 13. §. venditor, C. de actio. emt. niſi
emtor obiiciat compenſationem, l. 2. C. eod. de act. emt. Imo ſi do-
lus factus eſt ab emtore in emendo, & is alii vendiderit, non ad-
uerſus eum, in quem emtor dominium tranſtulit, rei vindicatio
venditori, ſed contra illum, cum quo contraxerat, in integrum
reſtitutio competit, l. dolus emtoris, 10. de reſcind. vend. C. ſic enim
de dolo emtoris quæri poteſt. Si venditor in rem venditam poſt
perfectam emtionem fructus fecerit, repetet hac actione vendi-
ti, l. venditor, 11. de reſcinden. vend. C. & damnum pariter, quod ex
illa re ſentit, l. Iulianus, §. præterea, l. ſi venditor, 39. § per emtorem,
de actio. emt. P. l. penult. C. eodem titu. vt ſi ſeruus venditus ei fur-
tum fecerit, l. ſeruus quem, 31. de actio. emt. P. l. quoties ſeruus, 29. de
contrahen. emt. P. item ſi emtor fructus ad venditorem pertinen-
tes inuaſerit, l. 2. § fina. de actio. emt. C. ſi per emtorem ſteterit quo-
minus conditio emtionis impleatur, l. Labeo ſcribit, 50. de contra-
hen. emt. P. Datur & generaliter actio ex vendito, pro eo quod
conuenit in pacto emtionis, in continenti appoſito, l. qui fundum
vendidit, 75. de contrahen. emt. P. & ſi ei non ſatisfiat, vt in pacto
legis commiſſoriæ, l. ſed Celſus. 6. §. 1. de contrahen. emt. P. l. 4. de le-
ge commiſſor. P. pacto de arrarum amiſſione, ſi emtor die dicta nõ
ſoluat pecuniam, l. 1. de pact. inter emt. C. lib. 4. tit. 54. Et ſic de ſimi-
libus pactis iudica: item vt emta emtor tollat, l. ſi is qui lapides, 19.
de actio. emt. & aduerſus eum qui venditori perſuaſit rem minus,
quam valeret, valere, in tantum quanto plures eſſet, l. Iulianus, §.
per contrarium, de act. emt. P. Si ab emtore, adhibitis iniquis pon-
deribus, circumſcriptus fuerit in modo rei venditæ venditor: vt
contra ſi emtor in eo a venditore circumſcriptus, aget ex emto, l.
ſi quis a me, 33. de act. emt.

¶ Aliquando † autem dubitatum fuit, num quando res æſti- 5
mata, vendenda alicui datur, vtrum ex vendito ſit actio, propter
æſtimationem: an ex locato, quaſi rem vendendam locaſſe videat:
an ex conducto: quaſi operas conduxiſſe: an mandati? Et tandem
melius viſum eſt actionem propriam proponi, quæ dicta eſt æſti-
matoria actio, per quam qui accipit, vel tenetur rem quam acce-
pit incorruptam reddere, aut pretium quod conuenit, l. 1. in prin.
& §. fi. de æſtimator. act. lib. 19. P. tit. 3.

## De Redhibitoriis actionibus, & quam diuerſa ἀντιπαράστασις ſeu redhibitio.

### Cap. 20.

1 *Redhibere quid.*
2 *Redhibitionis ſpecies.*
*Redhibitio pactitia, temporalis, & perpetua: id eſt, 30. annorum in heredes transfunditur.*
4 *Redhibitio pactitia non eſt pactum vſurarium.*
5 *Redhibere ne liceat, niſi poſt certum tempus, quando facit pactum vſurarium.*
6 *Redhibitio legis duplex, emphyteota vna, &c.*
*Prælationis iure quando, & quandiu vti poteſt dominus in re clientelarii eod.*
7 *Prælationis ius re vendita quando non conceditur.*
8 *Redhibitio proximitatis præfertur redhibitioni, & prælationi domini.*
9 *Prælationis iure dominus clientelaris non vtitur, niſi ipſe velit rem venditam, non ſi aliis velit dare.*

REdhibere † ſecundum Vlpianum eſt facere, vt rurſus habeat 1
venditor quod habuerat. Et quia reddendo id fiebat, idcirco
redhibitio eſt appellata, quaſi redditio, l. redhibere, 21. de ædi. edic.
li. 21. P. ti. 1. quia redhibitione omnia retro aguntur, l. quia redhibe.
10. de alien. iudic. mutand. cauſ. fact. P. cum res in priſtinam cau-
ſam redeat, reſoluta venditione, l. voluntate, 10. quibus modis pig.
vel hypothe. ſol. lib. 20. P. titu. 6. l. Pomponius, 12. § præterea, de acqui-
ren. poſſeſſio. in P. perinde ac ſi nulla venditio facta fuiſſet, l. facta,
60. de ædil. edict. P. l. ſi hominem, 19. de vſura, P. Iulius lib. 2. ſenten.
titu. 17. Apud Plautum redhibeo, pro reddo ſimpliciter accipi-
tur, Plautus in Mænech. ἀποδίδωμι. Saluum tibi vt mihi dediſti red-
hibeo marſupium. Redhibitum, inquit Sextus Pompeius Feſtus
lib. de verbo. ſign. id proprie dicitur, quod redditum eſt, improba-
batumque, & qui dedit rurſus coactus eſt habere quod ante habuit.
¶ Redhibitio, † vel ex conuentione fit, vel auctoritate legis, ſeu 2
conſuetudinis, vel ex ædilitio edicto, ſeu auctoritate magiſtratus.
Conuentione fit pactitia redhibitio, quæ dicta Budæo, ad leg. 2.
vbi de vindiciis agit, de orig. iur. in P. fiduciaria venditio, aut man-
cipatio, quæ pactum de retro vendendo vel reuendendo, aut re-
emendi nominatur, perpetuum aut temporale.

¶ Perpetuum † vt quandocunque venditor, in cuius fauorem 3
fit, pretium rei venditæ refuderit, retrahere rem ei liceat, l. 2. de
pact. inter emt. C. perpetuum ideo, quod vt perſonalis omnis a-
ctio, l. ſicut, 3. C. de præſcript. 30. vel 40. annorum, vſque ad trigin-
ta annos viuit, non vltra, Ioannes Faber, in l. cum notiſſimi, colum.
2. de præſcript. 30. vel 40. annorum, Bald. conſi. 253. colum. 2. verſic.
quæro vtrum, volum. 3. Anchara. conſ. 327. incipiente, viſis diligen-
ter, Felinus in c. cum acceſſiſſent, colum 17. verſic. ſecundo declaratur,
de conſtitut. Boerius ad conſuetudines Biturigum, in glo. 1. circa fin. §.
1. de præſcriptionib. quo tamen pendente tempore facultas redhi-
bendi

bendi non tantum venditori, ſed etiam eius hered bus competit,
in quos transfunditur: ſiue de iis nominatim fuerit habita men-
tio, ſiue omiſſi fuerint inter conueniendum, *glo. & Ioan. Faber,*
*Salyce. Cynus, & Bald. in l. 2. de pact. inter emtor. C. Bartholom. Bal.*
*Ang. & Iaſon, in l. ſi decem cum petiero, de verbor. oblig. P.* Tempo-
rale eſt, quando conuentum eſt, vt ſi intra certa tempora vendi-
tor, vel heredes eius, emtori pretium obtuliſſent, reſtitueretur
res, *l. ſi fundum, l. 2. de pact. inter emt. C.* qua in pactione, oblatio,
conſignatio, & depoſitio pretii per venditorem facta, etiam ab in-
uito emtore rem retrahit, *d. l. 2. & ibi glo. & l. ſi a te, 7. de pact. inter*
*emto. C. l. fin. de lege commiſſor. P.* Huic pacto, affinis illa redhi-
bitio ex alio pacto, vt ſi intra certum tempus pecunia reſtituatur
emtori, res ſit inemta, ex quo pecuniæ quoque oblatione, & con-
4 ſignatione cum depoſitione, res redhibetur, *d. l. ſi a te.* ¶ Et † quia
fuerunt quidam, qui abhorrebant pactitiam redhibitionem, tan-
quam vſurariam, Martinus 5. eius nominis ſummus pontifex, li-
5 citam pronuntiauit, *in extrauag. regimin. de emt.* ¶ Eſt † tamen
pactum tanquam vſurarium, valde improbum, vt non liceat niſi
poſt aliquod tempus, redhibere, *de quo in c. ad noſtram, de emtio.*
*apud Gregor.* Facit enim ſimulatam venditionem, & quod ven-
ditur, in pignus datum videtur, ea lege vt fructus illius temporis,
ſint pro vſuris pretii in fraudem prohibitionis vſurarum, titulo
venditionis fuco facto: cum lex commiſſoria non poſſit appro-
bari in pignoribus, ne fœnerandi occaſio permittatur, *l. 2. de pact.*
*pign. C. l. 1. & 2. de pignor. action. C. c. ſignificante, de pign. apud Grego.*
*l. ſi domum, C. eodem tit. l. 1. de diſtractio. pign.* cum & fructus pigno-
rum imputari debeant creditori ad ſolutionem debiti, *proxime ci-*
*tatis iuribus.* Ex pacto etiam, vt, ſi diſpliceat, res ſit inemta, com-
petit redhibitio, ſi non placeat intra certum diem, vel tempus, *l.*
*penul. de ædilit. actio. cum ſimil. C.* conceſſum. Item in pacto addi-
ctionis in diem, ſi melior oblata conditio fuerit, *l. 2. 4. & 5. de in*
*diem addict. P.* & legis commiſſoriæ, ſi ſolutum pretium ſtata die
6 non ſit, *l. 1. 2. & 4. de lege commiſſ. P.* ¶ Exempla † redhibitionis,
quæ auctoritate legis ſeu cõſuetudinis fit, duo proponam. Vnum
de redhibitione ſeu retractione rei emphyteoticariæ, venditæ
per emphyteotam, quam dominus directus eiuſdem, iure præla-
tionis poteſt ſibi retinere, vel laudimia, ſeu obuentiones illius ad-
uentitias recipere, *l. 3. verſic. ſiquidem dominus, C. de iure emphyt. c.*
*fin. de loca. apud Grego. §. porro, qualit. olim feud. pot. alien.* quemad-
modum & metallarii, & qui reipublicæ inſeruiunt, ſi quid extra
penſionem ordinariam haberent & colligerent, tenebantur po-
tius fiſco diſtrahere, *l. 1. de metallar. lib. 11. C. titu. 6.* Sicque & con-
ſuetudine fere generali totius Francogalliæ receptum eſt ius hoc
prælationis domini cenſualis. Neque præſcribitur hoc ius aduer-
ſus eum, priuſquam venditio ei nota fiat, vero explicato pretio,
& niſi fuerint oblatæ obuentiones, ſeu laudimia: nam a nuntia-
tionis tempore, dantur ei, electionis faciendæ cauſſa, num malit
præferri, an laudimia, duo menſes, *dicta l. 3. vbi & Imola & Ca-*
*ſtrenſis, C. de iure emphyt. facit l. qui Romæ, §. coheredes, ibi ſæpius te-*
*ſtato conuenerit, de verborum obligat. P.* ex conſuetudine 40. tan-
tum dies, *Boerius in commenta. ad conſuetudines Biturigum, in §. 1.*
*de conſuetu. retentionis rerum feudalium.*
7 ¶ Inhibita † tamen hæc redhibitio, ſeu retentio, quæ iure fit
prælationis in duobus caſibus: prior quando eccleſia habet
hoc dominii cenſualis & directi ius: nam ea non poteſt retinere
prælationis iure hodie, vt notat Baldus, *conſil. 250. volum. 3. Boe-*
*rius in proxime citato §. 1.* ex cuius ſententia ſenatus Tholoſanus a-
liquando ex tempore, me præſente iudicauit, propter morticinii
cauſſam, quamuis iure pontificio contrarium reſcriptum ſit, *in c.*
8 *potuit, de locat.* ¶ Alius † caſus, quando iure proximitatis, ſeu pro-
tomiſeos, redhibitione gentilitia, aliquis retrahere deſiderat, qui
præfertur domino cenſuali, *§. porro, qualiter olim feu. poter. aliena.*
9 vt ſuo loco latius, Deo fauente, ſequente libro. ¶ Sed † nec cen-
ſualis dominus huius iuris occaſione pro alio, quantumuis affini,
vel amico, vel pro alio, quã pro ſeipſo, retrahere poteſt, *d. l. 3. § ſed*
*hac occaſione, de iure emphyteo. Guid. Papæus, deciſ. 411.* Alterum
exemplum redhibitionis ex conſuetudine, eſt in redhibitione gẽ-
tilitia, *ca. conſtitutus, de reſtitu. in integ. ap. Gregor.* de qua, Deo fa-
uente, proximo libro agemus fuſe.

## De Redhibitione quæ fit auctoritate magiſtratus.
## Cap. 21.

1 *Redhibitio ædilitia, ſeu magiſtratus auctoritate facta quæ.*
2 *Ædilitium edictum morbos & vitia exprimi in venditione iubet.*
3 *Morbus, & vitium quid, quidve perpetuum, & temporale.*
4 *Morbi & vitia quæ redhibitioni ædilitiæ viam parant.*
5 *Vitia rerum quæ redhibitioni locum faciunt.*
6 *Vitium loci duplex, accidentale, & naturale.*
7 *Simplaria res quæ, & non redhibentur.*
8 *Redhibitoria ædilitia quis agere, & contra quos poteſt.*
9 *Redhiberi vitioſa duo maxime ſuadent.*
10 *Vitia apparentia exprimenda non ſunt.*
11 *Commendandi animo dicta non obligant.*
*Quanto minoris iudicium æſtimatorium eſt. eod.*
12 & 16 *Æſtimatorium iudicium quid.*
13 *Redhibitoria ædilitia habet locum tãtum in emtione, & permuta-tione, non in aliis contractibus.*
14 *Redhibitoria, & quanto minoris actiones concurrunt.*
15 *Vitium in redhibitoria debet probari fuiſſe tempore emtio-nis.*
16 *Redhibitoriæ actionis finis.*
17 *Redhibendi tempus ſex menſes.*

QVod ait † Feſtus redhiberi, id dicitur, quod redditum eſt im- 1
probatumque: & qui dedit rurſum coactus eſt habere, id
quod ante habuit, docet coactionem fieri iure magiſtratus: cum
actio intentatur in eum, qui quid vitio corruptum commutauerit
vendideritve, vt cogatur & reſtituere pretium, & quod tradiderat
accipere: ſi pro ſano & integro vendat, *l. 1. de ædil. edict. P.* ¶ Sic
† enim edicto ædilium cautum eſt, vt qui vendunt, teneantur pa- 2
lam vitia & morbos exprimere, *d. l. 1. & l. ædiles aiunt, de ædil. edict.*
*P.* & in ea parte qua agitur de mancipiis vendundis ſcriptum ſic
fuit, *Titulus ſeruorum ſingulorum, vt ſcriptus ſit curato, ita vt intel-*
*ligi recte poſſit, quid morbi vitiique cuique ſit: quis fugitiuus, errove*
*ſit, noxave ſolutus non ſit, Gellius lib. 4. cap. 2.* Rurſum ædiles aiunt,
qui iumenta vendunt, palam recte dicant, quid in vnoquoq; eo-
rum morbi vitiique ſit, vtique optime ornata vendendi cauſſa
fuerint, ita emtoribus tradantur, *d. l. ædiles aiunt,* 38. Pro cauſſa in
animalibus, ſeu brutis aut rationalibus, cur redhibitoria compe-
tat, vitium & morbus ſunt, *d. l. ædiles aiunt, §. loquuntur, ver. cauſ-*
*ſa.* ¶ Morbum † Sabinus definit, habitum cuiuſque corporis con- 3
tra naturam, qui vſum eius ad id faciat deteriorem, cauſſa cuius
natura nobis eius corporis ſanitatem dedit, *l. 1. §. ſi intelligatur, verſ.*
*ſed ſciendum, de ædilit. edict. P.* Vlpianus parum, aut nihil differre
vitium & morbum ratus eſt, & ædiles tollendæ dubitationis gra-
tia, *καὶ τὸ αὐτὸ* bis dixiſſe, ne qua dubitatio ſupereſſet. Et vitium,
& morbum corporis & animi perpetuum aliquem conſtituit, a-
lium temporalem, *d. §. ſciendum, & ſequent. §§.* Gellius in libris
veterum Iuriſperitorum ſcriptum eſſe ait, vitium perpetuum,
morbum cum acceſſu diſceſſuque eſſe, *Aul. Gellius, lib. 4. cap. 2.*
Morbum, inquit Cicero, appellant totius corporis corruptio-
nem: ægrotationem, morbum cum imbecillitate: vitium, cum
partes corporis inter ſe diſſident, ex quo prauitas membrorum,
diſtortio, deformitas, *Cicero 4. Tuſcu.* Venuleius Iuriſconſultus
animi potius quam corporis vitium, hominumque eſſe dixit, vel-
uti ſi quis velit ludos aſſidue ſpectare, aut tabulas pictas ſtudioſe
intueatur, ſitve etiam mendax, aut ſimilibus vitiis teneatur, *l. fin.*
*de ædili. edict.* Idipſum quod ſeruus erro ſit, quod obſeruare Pom-
ponium video, vt velit animi vitia non pertinere ad bruta, quæ
rationis expertia ſunt, quamuis eadem faciant, quæ homo non
niſi ex animo facit, veluti in iumento docet, quod quamuis er-
rare & fugere poſſit, tamen non ideo erro dicitur, aut fugitiuum,
*l. penult. §. fina. de ædilit. edict. P.* Eoque erro non dicitur nec fugi-
tiuus ſine mente, & propoſito, *l. quis eſt fugitiuus, 17. in princ. &*
*§. idem ait, & §. erronem, de ædil. edict. P. l. fugitiuus, 225. §. fina. de*
*verborum ſignif. in P.*

¶ Vitiorum † & morborũ ſpecies plures ſunt in homine, atta- 4
men omnes non faciunt redhibitioni locum, niſi miniſterium v-
ſumque hominis impediant, *in l. 1. verſ. proinde, de ædilit. edict.* ea-
que ſint corporis vitia vel morbi, non autem animi ſolius, pro
quibus non redhibitoria, ſed ex emto dabitur actio, *l. 1. §. penul.*
*& fin. & l. 4. eodem, l. cum mancipium, eo. tit.* Qui ſint morbi quæ-
ue vitia quæ redhibitionem ſuadent non perſequar, quando Iu-
riſconſulti copioſe explicauerint, *in titu. de ædilit. edict. P. a l. 1. vſ-*
*que ad 15. & poſtea 50. 53. 63 vſque ad §. ſi ſeruus,* & eoſdem erudite
Budæus, *commentariis ad P.* vitia quoque iumentorum, peco-
rum & morbos, *l. ædiles aiunt, 38. §. loquuntur, & ſequentib. l. bo-*
*uem, 43.* noſque de morbis animalium alibi, *lib. 28. Syntaxeon ar-*
*tis mirabi.*

¶ Vitia † ad res quoq; inanimatas corporales pertinẽtia ædilitio 5

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

edicto ſubiiciuntur, ſiue mobiles ſint, ſiue ſoli, vt & ad ſe mouen-
tes, *l.1 in prin. de ædil. edict. P. l. ſciendum eſt, 63. eod. P.* veluti ſi fun-
do ſint peſtilentes herbæ, & celatum fuerit emtori, *l. etiam in fun-
do, 49. de ædil. edict. P. l. ſi prædium, 4. §. fin. C. de ædil. act.* ¶ Vitium
6 † loci duplex, accidentale, & naturale. Accidentale, quod acci-
dens extrinſecus infirmiores res facit. Naturale, quod ita natura
perpetuo rei hæret: vt quod locus ſit paluſtris, vel arenoſus, *l. flu-
minum, 24. §. vitium, de dam. infect. P.* Quæ redhiberi poſſint Pla-
7 to exprimit, *lib. 11. de Legibus.* ¶ Simplarium † venditionum cauſ-
ſa, ne ſit redhibitio in vſu eſt, *l. ſi tamen, 48. §. fin. de ædil. edict.* Sim-
plarias res, quidam arbitrantur dictas minutas, & nullius prope
pretii, pro quibus tantum in ſimplum venditori cauendum eſt,
*Budæus in d. l. ſi tamen, annota. in P. per l. emtori, de euictio. P.* ¶ Agũt
8 † redhibitoria non tantum emtores, ſed etiam ſucceſſores eius, ad
quos res pertinent, *l. 1. §. 1. l. ſciendum tamen, 19. §. deinde aiunt ædi-
les, de ed. ct. P. l. ſi tamen, 48. §. ædilitiæ, eod. tit. de ædil. edict.* Et ſi plu-
res heredes ſint emtoris, omnes conſentire ad redhibendum, da-
req; vnum procuratorem eius rei gratia debent: ne forte vendi-
tor iniuriam patiatur, dum ab alio partem hominis ſeu rei recipit,
alii non in partem pretii condemnatur, ſed quanto minoris is ho-
mo ſit, *l. quod ſi nolit, 31. § ſi plures, eod. tit. de ædil. edict.* Idipſum ſta-
tuendum, ſi ſeruus communis emerit, vt vnus dominorum ſine
alio, vel aliis redhibere non poſſit, *d. l. quod ſi nolit, §. Marcellus.*
Agit & redhibitoria procurator qui mandato domini rem emit:
ſi tamen dominus rem vitioſam ſciuerit, & mandauerit nihilo-
minus emi, exceptione vtili agens procurator ſubmouetur, *l. cum
mancipium, 51. de ædilitio.* Contra, competit hæc actio non tantum
aduerſum venditorem, ſed etiam aduerſus eius ſucceſſores, *l. cum
autem, 23. § hæ actiones, & d. l. ſi tamen, 48. §. ædilitio, de ædil. edict.* At-
que ſecus quam dictum eſt in heredibus emtoris: ſi venditori plu-
res exſtiterint heredes, ſingulis pro portione hereditaria poterit
redhiberi, *l. quod ſi nolit, 31. §. ſi venditori, de ædil. edict.* quia vendi-
toris coheredes cõueniuntur pro re diuiſibili, videlicet, pro pre-
tio & parte ea quam conſecuti ſunt. Idipſum dicendum, ſi res plu-
rium vendita ſit, pro qua redhibitoria conueniantur, *d. l. quod ſi
nolit, §. ſi venditori.* Si ſeruus ſit qui vendidit, vel filiusfamilias, in
dominum vel partem de peculio ædilitia actio cõpetit, *l. cum au-
tem redhibitio, 23. §. ſi ſeruus, eo. tit. de ædil. edict. P.* aduerſus fiſcum,
res fiſcales vendentem, locum tamen non habet, quamuis & ad-
uerſum rempublicam, & pupillos agi poſſit, *l. 1. §. illud ſciendum,*
9 *eod. tit.* ¶ Duo † autem potiſſimum, vt vitioſa & morboſa redhi-
beantur faciunt, videlicet ſi ignorante emtore, vitium venditor
tacuerit, pro ſano & ſine vitio vendens, *l. 1. de ædil. edict. P. l. quæri-
tur, 14. §. ſi venditor, eod. tit.* Sic M. Porcius Cato cum Claudio ar-
biter, Calpurnio Lanario Claudium Centimalum damnauit,
quod Claudius ab auguribus iuſſus altitudinem domus ſuę quam
in Cœlio monte habebat, ſubmittere, quia iis ex arce augurium
capientibus officiebat, vendiderat Calpurnio, de induſtria edi-
ctum ſacerdotum ſupprimens. Probatque Valerius Maximus vt
æquiſſimum hoc arbitrium, quod bonæ fidei venditorem, nec
commodorum ſpem augere, nec incommodorum cognitionem
obſcurare oporteat, *Valer. Max. lib. 8. c. 2. Cicero Offic. 3.* Placuit
quoque venditorem, etiamſi ignorauit ea, quæ ædiles pręſtari vo-
luit, tamen teneri debere. Neque hoc eſſe iniquum ait Vlpianus:
potuit enim ea nota habere venditor. Neque intereſt emtoris,
cur fallatur, an ignorantia venditoris, an calliditate, *d. l. 1. §. cauſſa
huius, de ædil. edict. P. l. ex emto, 11. § etiam ſi ignorans, de actio. emt. P.*
10 ¶ Si † tamen vitium intelligatur, morbuſve rei venditæ, vt ple-
rumque ſignis quibuſdam demonſtrari ſolent vitia, poteſt dici e-
dictum ædilium ceſſare: hoc enim tantum intuendum eſt, ne em-
tor decipiatur, *l. 1. § ſi intelligatur, de ædil. edict. P. l. ſi tamen ſine cul-
pa, 48. §. in ædilitiis, l. cum mancipium, 51. eodem titu. l. ſed ſi ſeruo,
13. de contrahen. emt.* Quæ enim apparent, perinde habentur ac ſi
expreſſa & excepta nominatim eſſent, vt puta, ſi cæcus homo ve-
niebat, aut qui cicatricem euidentem & periculoſam habebat in
capite, vel alibi: nec eius nomine idcirco tenebitur venditor, *l.
quæritur, 14. § fina.* Scienti enim & volenti non infertur dolus,
vel fraus, *l. 1. §. fina. de act. emt. l. cum donationis, C. de tranſact.* A-
liud, quod redhibitoriam quoque dat, ſi actu & fraude quædam
ineſſe rei, quæ non ſunt, affirmauerit: idipſum ſi temere ignorãs
vitium, idipſum non ineſſe indicauerit. Quia non debuit facile
quæ ignorabat aſſeuerare, *l. Iulianus, 14. §. quod autem diximus, de
act. emt. P.* Quia vt ait Horat. *lib. 2. epiſtol. epiſt. ad Lucium Florum.*

*Multa fidem promiſſa leuant, vbi plenius æquo*
*Laudat venales qui vult extrudere merces.*

¶ Attamen † regulari iure, quæ commendandi rei venalis 11
cauſſa venditor dixerit, præſtare non tenetur, ſi ea eius generis
ſint: quæ palam apparere poſſint, num talia ſint: veluti ſi di-
cat ſeruum ſpecioſum, domum bene ædificatam, ſi cæcum be-
ne videntem: at de his quæ non apparent locutus, tenetur: vel-
uti ſi dixerit hominem bene literatum, & artificem, *l. ea quæ com-
mendandi, 43. de contrahen. emt.* ſi conſtantem aut laborioſum,
aut curacem, aut vigilacem, &c. pro quibus redhibitorio aut æſti-
matorio, id eſt, quanto minoris iudicio, agere poteſt emtor, *Ca-
ius in l. ſi quid venditor, 19. de ædilit. edict. P.* Vlpianus ea quæ ad nu-
dam laudem dicta ſunt, non præſtare venditorem ait, vt ſi dixe-
rit, frugi ſeruum, probum, dicto audientem. Si vero ea ſe præſta-
turum promiſerit, teneri ex ſententia Pedii Iuriſconſul. Similiter
ſi dixerit aleatorem non eſſe, non furem, ad ſtatuam nunquam
confugiſſe, *in l. ſciendum, 19. de ædil. edict.* Commendatoria verba
quoque idem Vlpianus a venditore dicta, pro non dictis haberi
cenſet, niſi decipiendi emtoris cauſſa dicta ſint, quo caſu de dolo
agi in venditorem etiam poſſe, *l. quod venditor, 38. de dolo malo,
lib. 4. P. titu. 3.* Florentinus adſtipulatur, *Dolum malum*, inquit,
*a ſe abeſſe præſtare venditor debet: qui non tantum in eo eſt qui obſcu-
re loquitur, ſed etiam qui inſidioſe, obſcure diſſimulat, in dicta l. ea
quæ, §. fin. l. 1. § ſed ſcire venditorem, de act. emt.* Vt ſi dicat, vt expla-
nat Accurſius, equum quem vendit, non aſcendere arborem, in-
telligens per pontes, vel ponticulos non tranſire equum, *Ac-
curſ. in d. §. fina. l. ea, quæ in ver. fallendi.* Quare venditoris partes
ſunt, ſi vitare velit redhibitionem, palam morbos, & vitia, ſi re-
bus inſint, excipere nominatim, & de cetero ſanum promittere:
nam de expreſſis liberatur, vtpote renuntiante emtore ſilente
redhibitioni, *l. quæritur, 14. §. ſi venditor, de ædil. edict. P.* Conſe-
quenter, ei qui ſeruum vinctum vendiderit, ædilitium edictum
remitti æquum eſt. Multo enim amplius eſt id facere, quam pro-
nuntiare in vinculis fuiſſe, *in l. ſi tamen, 48. §. ei qui, eodem titu. P.*
¶ Obſeruandum † eius eſſe hanc redhibendi facultatem, qui e- 12
mit, ob pretium datum pro re, vt non liceat idcirco redhibito-
ria ei, cui fuit donatum, *l. ad res donatas, 61. de ædil. edict.* vel loca-
tum, *l. ſciendum, 63. eodem, P.* In permutatione autem vtrique
compermutantium ædilitia licet vti redhibitione, *l. ſciendum ta-
men, 19. eodem,* quod ratione rerum & commutationis, valde em-
tioni affinis eſt, *l. 1. de contrah. emt. P. l. 1. de rerum per. P.* permuta-
tio: & æqualitas in vtraque rerum, vel pretii & rei intercedit: &
quod de vitiis & morbis in permutatione quoque, vt in emtio-
ne, caueatur, *l. ſi. de rer. permut. P.*

¶ In † arbitrio quoque emtoris ſitum eſt, num velit redhibito- 13
ria, aut æſtimatoria actione, quanto minoris, agere: videlicet, vt
ei reſtituatur pretii pars a vẽditore, quã non fuiſſet daturus, id eſt,
minoris emiſſet, ſi ſciuiſſet fuiſſe vitioſam, *l. quod ſi nolit, 31. §. ſi
quis egerit, & l. ſi quid venditor, de ædil. edict. P.* Ceterũ, † quia pro- 14
pter vitium emtioni vis fit per redhibitionem, & de fraude con-
queritur emtor, operæpretium eſt docere agentem, *l. fina. C. de
ædil. actio.* tempore venditionis rem fuiſſe vitioſam, aut morbo-
ſam. Nam non habetur ratio morbi, vel vitii, quod antea fuit, ſi
modo ſanatum tunc fuiſſet, *l. 1. §. fina. & l. quod ita ſanatum, 16. de
ædil. edict. P. l. imperialis, § ſimiles, C. de nupt. cap. ferrum, 50. diſtin.*
vt nec ſuperueniens nocet venditori ſed emtori ita exſiſtens tem-
pore venditionis, venditori officit, *l. ſi apud priorem, C. de ædil. act.
l. actioni, 54. eod. tit. P.*

¶ Finis † huius redhibitoriæ actionis, vt omnia in integrum re- 15
ſtituantur, perinde ac ſi emtio, vel venditio non interueniſſet, *l.
facta redhibitione, 60. de ædil. edict. P. l. cum autem, 23. §. Iulianus,
eod.* quamuis in ea cauſſa non ſit, vt perinde habeatur atque ſi res
tradita non fuiſſet, *l. ſerui & filii, 17. §. cum autem, de furtis.* Et pro-
inde qui agit emtor, rem reſtituendo tenetur, & omne id quod
venditum acceſſit reſtituere, & quod occaſione rei percepit, vel
dolo eius factum eſt, quominus perciperet, *l. 1. §. ſi quid autem, &
dicta l. cum autem, 23. §. cum redhibetur, l. & generaliter, 24. l. quod
ſi nolit, 31. §. ſi ancilla, §. ſi peculium, §. reſtitui, §. in his autem, l. pro-
inde, 33. §. fina. de ædilit. edict. P. l. item Mela, 11. §. ſi in eo. de ædilit.
edict. in l.* Et ſi res deterior facta eſt eius culpa, & totam etiam cauſ-
ſam poſt iudicium acceptum, *l. ædiles etiam, 25. in princip. & §.
item ſciendum, de ædil. edict. & dicta l. 1. §. ſi quid autem, eod. cum
ſimilib.* Et contra venditor reſtituere pretium debet quod ab em-
tore accepit, *l. debet autem, 27. l. illud ſciendum, 29. l. ſi plura, 36. l.
cum in ea cauſſa, 59. de ædil. edict. P.* Ordine tamen fecerunt edicto
ædiles, vt ea omnia, quæ ſupra ſcripta ſunt, venditori antea reſti-
tuat & præſtet, ſic deinceps pretium conſequatur, *l. ædiles etiam,
25. §. fin.*

*25.§.fin.de ædil.edict.* Præſtabit & vltra venditor emtori omne damnum, quod contingit emtori ex re vitioſa, *l.1. C.de ædil.act.l. cum autem, 23.§. Iulianus ait, eod. P. l.ſerui, & filii, 17.§.cum autem, & l.ſeruus, 63.de furtis in P.* vſuras pretii, & ſumtus, quos rei venditæ cauſſa fecit, maxime cum ipſe fructus reſtituat. Tamen ſi quid damni inde ſenſit, aut ſi quid impendit pro re, conſequetur officio iudicis, *l.illud ſciendum, 29. eodem l. quæro, 58 eodem titu. P.* Harum omnium præſtationum faciendarum cauſſa cautiones vtrinq; dantur, vel in præteritum, vel in futurum conceptæ. Et cum redditur mancipium ab emtore venditori, de dolo malo repromitti oportet: & ideo cautio neceſſaria, inquit Pomponius, ne forte, aut pignori datus ſit ab emtore, aut iuſſu eius damnum, ſiue furtum alicui datum ſit, vt hæc reddantur, ſi expediat. Item ſi ſeruus ſine culpa emtoris in fuga eſt, nihilominus condemnetur venditor, ſed cautione interpoſita, vt emtor hominem perſequatur, & in ſuam poteſtatem redactum venditori reddat, *l.redhibere, 21 §.cum redditur, & §.fina. eodem titu. de ædil.edict.* & neque per ſe, neque per heredem eius fieri, quominus eum venditor habeat, *l. & neque, 22. eodem.* Cauendumque ex vtraque parte vt ſiquidem ſine dolo malo condemnatus ſit, vel ſi quid ex eo quod egerit ad eum peruenerit, dolove malo eius factum ſit, quominus ad eum perueniret, id reddat, *l.item ſi ſerui, 30.eod.*

16 ¶ Affine † actioni redhibitoriæ, eſt æſtimatorium iudicium, ſeu quanto minoris, vt quanto minoris emiſſet, ſi ſciuiſſet vitium, pretium ei reſtituatur, *l.quoties, de ſeruitute, 61.eodem.* Idcirco enim æſtimatio rei fit, & ſæpius pro eadem re agi poterit, quanto minoris, dummodo caueatur, ne bis eiuſdem rei æſtimationem, qui agit conſequatur, *l.quod ſi nolit, 31 §.ſi quis egerit eo.l.quia dicitur, 32.de euict.in P.* Atque in hac æſtimatione facienda, inſpicimus num duo, plurave animalia, vel duæ, pluresve res certo vſui æque neceſſariæ veneant vno pretio, an vero plura ſimpliciter. Nam in primo caſu, ſi vnum animal vitioſum ſit, non ex pretio vitioſitatum pretium erit componendum, ſed ex omnibus quanto minoris ſit: in alio contra, prout Vlpia. adfert exempla *in l.ædiles aiunt, 38.§.ſi forte iugum mularum, de ædil.edict.P.* Et Pompon. *in l.Labeo ſcribit, 64.eo.ti.* Et ſi vnum ex pluribus redhibeatur, vt ſimul alia redhibeantur iudicium pollicentur ædiles, *l.ædiles aiunt, 38.eo.tit.* Tempus redhibitionis ſex menſes vtiles ad agendum habet: ſi autem res non redhibeatur, at agatur quanto minoris, annus vtilis eſt: ſed tempus redhibitionis ex die venditionis currit: aut ſi dictum, promiſſumve quid ſit, ex eo, ex quo dictum promiſſumve quid eſt, *l.ſi ſciendum tamen, l. 19 §.fi.l. ædiles aiunt, 28.de ædil. edict.l.2. C.eod.titu.* Veruntamen cum ſex menſes vtiles, quibus experiundi poteſtas fuit, redhibitoriæ actioni præſtatur, non videbitur poteſtatem experiundi habuiſſe, qui vitium fugitiui latens ignorauit: nō idcirco tamen diſſolutā ignorantiam emtoris excuſare oportebit, *Papi.in l.cū ſex menſes, 55.de ædi edic. P.* Sic non valenti agere, non currit vtile ad agendum tempus, *l. annus vtilis, de calumnia.in P.* Propter edicti ædilium etiam caput de iumentis vendendis, vti optime ornata fuerint vendendi cauſſa, ita emtoribus tradantur: ſi quid ita factum non erit, de ornamentis reſtituendis, iumentiſve ornamentorum nomine redhibendis, dies ſexaginta conſtituti ſunt, *l.ædiles aiunt, 38.de ædil.edic.*

17 *P.* ¶ Eſt † in factum ædilitia actio huic proxima, ſi quid ita venierit, vt ſi res diſplicuerit, non adiecto tempore, redhibeatur: ob quam dantur ſexaginta quoque dies vtiles emtori ad redhibendum, non vltra: niſi cauſſa cognita aliud iudici videatur, veluti ſi mora facta ſit per venditorem, aut non fuit præſens cui redderetur: aut iuſta cauſſa interceſſit cur intra diem redhibitio facta non fuit, eius quod ei diſplicuerit, *l quod ſi nolit, 31 §.ſi quid ita venerit, de ædil.edict.* Si venditor quoque non caueat de his quæ edicto ædilium curulium continentur, pollicētur aduerſus eum edictum redhibitorium intra duos menſes, vel, quanti emtoris interſit, intra ſex menſes, *Caius in l.ſi venditor, 28.eo.tit.* Datur & actio in factum re redhibita ad recipiendum pretium, nec amplius controuertitur tunc: an in ea cauſſa res fuerit: an redhiberi debuerit, vel num ante legitima tempora redhibita ſit, *d.l. quod ſi nolit, §.in factum & ſeq.* Aliquando etiam redhiberi mancipium debebit, licet æſtimatoria, id eſt, quanto minoris agamus: veluti, ex reſponſo Pauli, ſi adeo nullius ſit pretii mancipium, vt ne expediat quidem tale habere domino: veluti ſi furioſum, aut lunaticum ſit: licet æſtimatoria actum fuerit, officio tamen iudicis continetur, vt reddito mancipio, pretium recipiatur, *in l.bouem, 43.§.aliquando, de ædil.edict.P.*

## De Euictionibus. Cap. 22.

Lib.21.P.tit.2. Lib.8.C.tit.35.

1 *Euictionis actio quid & Græcis.*
2 *Euictio, quamuis nihil fuerit de ea actum, venit in venditione.*
*Mancipio dare quid, eod.*
3 *Euincere quid.*
4 *Euictionis diſtinctio.*
*Euictio in aliis quam emtis locum habet. eod.*
5 *Euictionis materia & perſonæ.*
6 *Euictio pro parte, & pro tota re vendita quomodo intentetur.*
7 *Euicta res quando vere dicitur.*
*Euictione obligatus non agit. eod.*
8 *Auctor primus & ſecundus in emtione.*
9 *Euictionis petitio quid continet, duplum, vel ſimplum.*
10 *Euictio in quibus cauſſis non competat.*
11 *Alienum vendens in quantum, Boioariorum lege tenetur.*

GRæci appellāt † actionem βεϐαιώσεως quam intendunt emto- 1
res venditori, ſi alio quopiam rem ſibi venditam vindicante
venditionem non confirmet venditor, vt ſcribit Suidas, *in dicto*
*verbo βεϐαιώσεως.* Actionem ex emto pro euicta re decernunt le-
ges emtori contra venditorem, per quam emtoris rem facere te-
neatur venditor, ſi dominus eſt, ſicut emtor pretium venditoris.
¶ Quod † ſi dominus non fuerit qui vendit, qui emit euictionis 2
nomine venditorem obligat, *l. ex emto, 11. de actio. emt.* ex natura
contractus emtionis: quamuis de ea nihil nominatim cautum eſt,
*l.non dubitatur, de euict. C. Pompon. in l. in vend. 66. de contrahen.*
*emt. P.* vt neque pacto generaliter fieri poſſit, ne emtor de eui-
ctione teneatur, propter doli ſuſpicionem: cumque emtio bonæ
fidei iudicium ſit, *l.tenetur, §.fin. de actio. emt. P. cum ſimil. ibi no-*
*ta. vt l. Iulianus, 14. §. idem Iulianus, eod. titu.* Erat antiquitus et-
iam hoc ex ſubſtantia mancipationis. Nam mancipio dare rem,
nihil aliud erat, quam euictionem promittere. Mancipium enim
dominium & poſſeſſionem ſignificat, vel dominii traditionem:
& mancipio accipere ea lege emere, quod pluribus illuſtrat pro-
borum auctorum exemplis Budæus, *in annotat. ad Pandectas, in l.*
*2. vbi de vindiciis agit, de orig. iur.* vt repetitione hic non cenſeam
vtendum.

¶ Euincere † in genere eſt, rem auferre. Sed in iure cum de e- 3
uictione agitur efficaciter, intelligi par eſt, euictam & ablatam
rem a venditore, auctore iudice, *l.non tamen, 24. de euict. P.* ¶ Sic 4
† conſtituemus euictionem ex qua agi non poteſt: & euictionem
ex qua recte, & efficaciter agitur. Item efficacem aliam, quæ ex
aliis contractibus, quam ex emtionis alienatione datur, ſiue eius
nomine cautum eſt, *l. ſciendum eſt, 51. de euict. P.* vt pro fundo
dato in dotem, *l. non ſolum, 53. de iur. dot. P.* vel ſi ex natura nego-
tii legis auctoritate detur, veluti ex permutatione, ex qua pro e-
uictione dabitur actio in factum, *l. 1. §. vnde ſi ea res, de rerum per-*
*muta. lib.19. P. tit.4.* Et ſi res in ſolutum data creditori euicta, vti-
lis ex emto pro euictione competit, *l. 4. C.de euictio.* Porro in do-
natione ſimplici, euictionem non deberi placuit, ſi res aliena do-
netur, & euincatur, ſumtuſve in eam facti ſint: niſi vel pacto, ſeu
ſtipulatione placuerit de euictione teneri donantem, *l. 2. C.de e-*
*uictio.* vel ſi doloſe verſatus eſt qui donauit: quo caſu & de dolo a-
gitur, *l. Ariſt.18 § fin. de don. lib.30. P. titu.5* item & niſi donatio
eſſet remuneratoria, *diſputat & probat late Boerius deciſio.67.nu.1.*
nec tamen in donatione omnium bonorum habet locum eui-
ctio, *idem Boerius deciſio. 13. num. 26. per l. 2 de hered. vend. P.*
¶ Aliam † autem ponimus euictionis cauſſam ex emtione, quan- 5
do res vendita, aliquo & certo modo, iudice auctore euincitur,
vel aufertur emtori: & ita hic emta res, propria eſt materia eui-
ctionis de qua agimus: perſonæ, emtor, venditor, & dominus qui
rem ſuam ab emtore euicit. ¶ Siue † enim pars rei venditę euinca- 6
tur, ſiue tota, habet regreſſum emtor in venditorem, cum diſtin-
ctione: ſiquidē pars pro indiuiſo euincatur, regreſſum habet pro
quantitate euictæ partis. Quod ſi certus locus euictus ſit, non pro
indiuiſo portio fundi, pro bonitate loci erit regreſſus: videlicet
habita ratione num viliſſimus, vel pretioſiſſimus fuerit euictus,
*l.1. de euict. P.* quod maxime in his, quæ citra corruptionem for-
mæ ſubſtātialis diuidi poſſunt. In aliis autem corporibus, quæ for-
mæ non patiuntur ſectionem in formas ſimiles, pro parte euictio
fieri non poteſt, ſicuti in ſtipulatione duplæ. Cum homo vēditur,
partis adiectio inquit Vlpianus, neceſſaria eſt: quia non poteſt vi-
deri homo euictus, cū pars eius euicta eſt, *l. ſi dictū, 56.§ in ſtipula-*
*tione, de euic. P. vide Boer. deciſ. 46. nu.8.* Itē Paulus de reb. diuiduis

diſtinguit: ſi fundo vendito pars euincatur, ſi ſingula venierint
certo pretio, tunc non pro bonitate, ſed quantum ſingula venie-
rint, quæ euicta fuerint præſtādum: etiā ſi ea quæ meliora fuerint,
7 euicta ſint, *l. ſi fundo vendito, 53. de euictio.* ¶ Tunc † autē res euicta
eſſe videtur, ſi ita amittatur, vt eā emtori habere non liceat, vt ſpes
habendi ſit abſciſſa, *Vlp. in l. ſi ſeruus, 21. § ſin melius, Paul. in l. eui-
ctus, 35. de euict. P.* Quod enim euincitur in bonis noſtris non eſt,
*in l. quod enim, 150. de reg. iur.* ſi quidem res aliena vendita ſine cō-
ſenſu domini, per dominum emtori auferri poteſt, *l. rem alienam,
28. de contrah. emt. in P. l. ſi filio, § 1. ſolu. matri. in P. l. ſi fundum tuum,
5. de reb. alien. non alien. li. 4. C. tit. 51.* niſi dominus poſtea ratam ha-
buerit alienationem *l. venditioni, 4. de vſuca. pro emtor. lib. 7. C. tit.
26 l. exceptione, C. de euictio. l. iuſto errore, 44. § conſtat, de vſucap. lib.
41. P. tit. 3* vel niſi res quæ aliena vendita eſt, perueniat in domini-
um venditoris, quo caſu firmatur venditio, neq; poteſt eandem,
tanquam alienam venditam ab emtore petere. Vnde nata regula,
eum quem tenet de euictione actio, agentem repellere exceptio-
nem: quod is qui alienam rem vendidit, ſi adeptus rem fuerit, te-
neatur implere emtionem, *l. vendicantem, 17. & l. ſed etſi, de euict.
in P. 1. & l. 2 de exceptione rei ven. lib. 21. P. tit. 3. l. ſi quis alienam, 47.
de act. emt. l. apud Celſum, 4. § ſi a Titio, de dol. mal. exceptio. lib. 44. P.
tit. 4. l. cum vir, 42. de vſuca. 41. P. tit. 3. l. ſiue poſſeſſio. 14. C. de euictio.*
Quamobrem hinc conſtat, venditorem euincere rem non poſſe:
nec etiam eius heredem eo nomine, quod heres ſit: proprio tamē
nomine poterit: verum ſi obtineat nomine heredis, de euictione
tenetur, *l. Seia fundos, 73. de euictio. P. d. l. ſiue poſſeſſio. C. eod. l. 1. de
exceptio. rei ven. in P. l. venditri. 3. C. de reb. alie. non alien. lib. 4. C. tit.
51.* Idem fere dicendum in perſona fideiuſſoris venditoris, qui nō
poteſt rem euincere: quia per fideiuſſionem de euictione ſe obli-
gauit, *l. exceptione doli, 11. C. de euict.* dolo quippe facit, qui petit
quod ſtatim reſtituturus eſt, *l. dolo, de except. dol. P. c. l. fin. C. de euict.*
in herede tamen fideiuſſoris, quamuis de euictione poſſit teneri,
tamen ſingulare eſt, vt poſſit ſuo nomine euincere. ¶ Auctorem
8 † leges eum dicunt, qui de euictione tenetur, *l. 1. de pericul. & com-
mo. rei vend. l. auctor, & l. emtor, C. de euict.* item & eum qui pro vē-
ditore fideiuſſit auctorem ſecundum, *l. 4. de euictio. P.* ¶ Petitio
9 † autem fit euictionis cauſſa, ſecundum ea quæ præſcripta ſunt in
venditione: vt ſi in ſimplum eius nomine in ea promiſſum ſit, pre-
tium tantum reſtituatur, *l. euicta, 16. de euict. P.* Quod etſi dictum
non ſit, tamen ex natura emtionis præſtatur, *l. ſi in venditione, 60.
& ſeq. eod. tit. P. l. ex emto, de actio. emt. P.* Pari modo agitur ad du-
plum, triplum, quadruplum, ſi ita conuentum ſit, videlicet pretii
conuenti, non bonitatis rei, *l. ſi fundo, 55. & l. cum fundus, 48. l. vin-
dicantem, 17. de euictio.* Si nihil ſtipulatione conuentum eſt, agitur
ex emto ad id quod intereſt, quamuis de euictione nominatim nō
fuerit promiſſum, *l. non dubitatur, 6. & l. ſi tibi liberam, C. de euictio.
l. in vendendo, 66. de contrah. emt. P. l. euictare, 2. l. ſi dictum, l. ſi plus,
de euictio. P.* Sic iudicatum olim referunt, Valerius Max. & Cicero,
in cauſſa venditionis ædium Claudii Centimali, quas in Cœlio
monte habēs, vendiderat P. Calpurnio Lunario: cui tacuit ſe iuſ-
ſum ab auguribus eas demoliri: quare & Catone iudice damnatus
emtori damnum præſtare, *Cicero 3. Officior. Valer. Max. lib. 3. c. 2.*
10 ¶ Sunt † tamen caſus, pro quibus non competit euictionis actio.
1. Si ſcienter quis alienam rem emerit, *l. ſi fundum, C. de euict.* 2. Si
emtor ab eo qui rem repetit, in ius vocatus venditorem in initio
litis non vocauerit vt defenderet, qua ratione auctore non defen-
dente, in defectum probationum, euicta ſit res, *l. emtor, & l. aucto-
re, C. de euict l. ſi rem, & l. ſi fundo, § fin. eod. tit. P.* 3. Si ob contuma-
ciam emtoris res ei adimatur, *l. ſi ideo, 55. de euict. P.* 4. Si venditore
abſente emtor condemnatus non appellauit, *l. Herennius, 163. eo.
tit. P.* 5. Si per imprudentiam & iniuriam iudicis, res euincatur, *l.
ſi per imprudentiam, 51. eod. tit.* 6. Si ſponte emtor cum euincente
compromiſerit, *l. ſi dictum, 56 § ſi compromiſero, eod. tit.* & eo ar-
bitrio re priuatus fuerit: diuerſum tamen ſi coactus compromit-
tat, *Bartol. in d. § ſi cum promiſero, & Bald. in l. 1. de peric. & com-
mod. rei vend. P.* 7. Si cum emtor potuiſſet rem vſucapere, non v-
ſuceperit, *d. l. ſi dictum, § ſi cum poſſet.* Nam qui alienam rem ven-
didit, deſinit poſt longi temporis præſcriptionem emtori teneri,
*l. qui alienam, 54. de euictio. P.* 8. venditor vendens pignus, de eui-
ctione, eius nomine non tenetur: niſi aliter conuentum ſit, *l. 1. &
2. creditorem euictio. pigno. non debere.* 9. Qui vendit hereditatem,
non tenetur pro rebus ſingularibus: niſi aliud dictum ſit, *l. 2. C. de
euict.* 10. Placuit etiam, in ius vocatum euictionis nomine, quod
Galli dicunt, *a prendre le garand*, nō poſſe de euictione in alium a-
gere, quin prius ipſe euictionis defenſionem in ſe ſuſceperit, vt
deciſum placito curiæ ſupremæ Lutetianæ 12. Ianuarii 1538. *Io-
annes Gallus, in quæſtionibus deciſis per areſta, quæſt. 318. in 5. parte
ſtyli parlamenti Aufrerii, ſecundum ordinem Molinei.* ¶ Lex † Bo- 11
ioariorum eſt, vt qui alienum ſine voluntate domini vendiderit,
ipſam rem reddat per legem, & conſimilem aliam: & ſi illam rem
inuenire non poteſt, alias duas res conſimiles, *in legibus Boioario-
rum, c. 20. de venditionibus, tit. 1.* Qui vendiderit hominem libe-
rum, ſi ille ſuam probat libertatem, venditor emtori reddat, *eod.
lib. & cap. tit. 5.* & ſimiliter in aliena re vendita, *eod. tit. c. 4.*

## De Reſcindenda venditione.

## Cap. 23.

Lib. 18. P. tit. 5. Lib. 4. C. tit. 44.

1 & 2 *Emtio aut nulla, aut reſcindenda, & nulla quæ.*
2 *Venditiones quæ, & quibus cauſſis reſcinduntur.*
*Volentibus, aut inuitis contrahentibus, eod.*
3 *Venditionis reſciſſio quid efficiat.*

EMtio nulla eſt, † aut reſcindenda. Nulla ipſo iure corruit, nec 1
eget reſciſſione, ſed interdum exigit vt talis a iudice declare-
tur: tum propter peruicaciam contrahentium, tum ob repeti-
tionem traditorum. Si imaginaria venditio nulla eſt, *l. nuda, 55. de
contrahen. emt. P.* & quæ contra legum prohibitionem fit, *l. quem-
admodum, de agrico. & cenſi. lib. 11. C. l. non dubium, C. de legib.* vel ſi
ei dolus venditoris cauſſam dederit, *l. & eleganter, de dol. in P. l. ſi
dolo, C. de reſcin. vend.* vel errore fiat, *l. nihil, 116. de reg. iur.* ſi vſura-
ria ſit, cuius generis ſpecies declarauit Carolus 5. Cæſar in comi-
tiis Auguſtæ Vindeliciorum habitis 1548. cum merces pluris, quā
valeant, in contractu venditionis æſtimentur, &c. *in dictis comi-
tiis, cap. 17.*
¶ Reſcinduntur † autem venditiones quæ aliquo modo ſubſi- 2
ſtere poterant: verum ab illis diſcedi, ratio maior quædam ſuadet.
Et quia plures poſſunt occurrere cauſſę iuſtę, plures etiam reſcin-
dendi erunt modi: quorū inſigniores aliquos explanabimus, Deo
volente. Et in ſumma, aut volentibus, interdum & inuitis con-
trahentibus abitur ab emtione: id tamen regulari iure obtinet, vt
ab ea non diſcedatur, altera partium inuita: quia non eſt huic con-
tractui, ſicut nec in ceteris nominatis, locus pœnitentiæ, *l. 3. de re-
ſcinden. vendit. l. ſicut, de actio. C. l. in commodato, § ſicut commoda. P.*
Reſcindetur itaque emtio vtriuſq; contrahentium conſenſu ſolo
exſiſtente re integra, *l. 1. & 2. quan. lice. ab emt. recede. C. l. 3. de reſcin.
ven. § fin. qui. mo. toll. obl. l. nihil tam naturale, de reg. iur. l. ſed Celſus,
§ fin. de contrah. emt.* Quod ſi non ſit integra, pretio ſoluto, vel re
tradita, cum conſenſu & res reſtitui, vel pretium debet, *l. 2. de re-
ſcinden. vendi. P. l. ab emtione, de pact. P.* Fit & per acceptilationem
hæc reſciſſio, *l. fin. de acceptilatio. P. l. cum emtor, de reſcind. vend. P.*
ſed & pacto addictionis in diem, *l. ſi debitor, de in diem addict. P.* &
legis commiſſoriæ, *l. ſed Celſus, § 1. de contrahen. emt. P.* redhibitio-
ne pactitia: de quibus paulo ante diximus. Ceterum redhibitio pa-
ctitia nouam venditionem continere videtur, priore reſoluta, vt
etiam a reſciſſione ſimplici ex conſenſu facta, aliquo modo ſepa-
rari mereatur, in qua ſine reuenditione reſoluitur conſenſu con-
tractus, *glo. in l. ſi. quando liceat ab emtio. diſce. l. ab emtione, de pact.
P.* Inuito altero reſcinditur, ædilitia actione, de qua etiam iam tra-
ctatum: item & ob defectum legitimi pretii, redhibitione gentili-
tia, de quibus mox, Dei cum auxilio: item ſi metu ſit facta.
¶ Reſciſſio † reſtituit conuenientes ſeu contrahentes in priſti- 3
num ius, quod illis erat antequam contraherent, *l. cum autem, §
1. de ædi. edicto, l. ſi hominem, de vſuca. P. l. voluntate, § 1. quib. mod.
pign. vel hypoth. ſol.* & proinde res, & pretium reſtituuntur, ſi da-
tum fuerit, *l. edictio, l. ſi aduer. ven. C.* etiam ſi minor velit impro-
bare venditionem rerum ſuarum ſine ſolemnitate factam, & pre-
tium acceperit, quod in ſui vtilitatem ſit conuerſum: nam illud
reſtituet, non aliter, *l. vti re, 14. l. prædiorum 10. l. ſi prædium, 16.
de præd. & aliis reb. minor. lib. 5. C. titu. 71. l. vni. de reputa. lib. 2. C.
tit. 48. l. quod minor. § reſtituto, l. patri, § ſi pecunia, & l. ſi iudex, cir-
cumuento, & l. tutor, § 1. de minori. 25. ann.* Reſtituuntur & pretii
& rerum acceſſiones, *dicto § 1. l. cum autem, de ædi. edict. P.* Sed &
emtor qui rem reſtituit, repetit quanto plurimi res meliorationi-
nibus aucta eſt, *l. 1. & 2. de alluuio. l. intra vtile, § vendentibus de mi-
no. l. in fundo, de rei vindic.* niſi illicite alienatione prohibita,
facta fuiſſet venditio quæ reſcinditur, *l. chirogra-
phis, § 1. de adminiſt. tut.*

## De Reſcißione venditionis ob Pretii modicam quantitatem. Cap. 24.

1 *Venditio reſcinditur ex modico pretio, vel illud ſuppletur.*
2 *Pretium modicum, & vile quod.*
3 *Deceptio re ipſa, & dolus re ipſa quid.*
4 *Reſcißione l. 2 de reſcind. vend. C. qui vtantur.*
5 *Emtor ſupra verum pretium, plus dimidia parte ſoluens, num poſſit reſcißionem, aut ſupplementum petere pretii.*
6 *Reſcißio l. 2. C. de reſcind. venditio. non fit auctoritate propria, ſed iudicis.*
7 *Reſcißio l. 2. præſcribitur 30. annis.*
*Officium iudicis intra quadriennium tantum imploratur, eodem.*
8 *Venditi actio datur etiam pro pretio, & lege commiſſoria, &c. & num. 9.*
10 *Reſcißio emtionis iure ſingulari & communi petitur, vario modo.*
11 *Reſcißio contractuum ex quacunq; cauſſa, in Gallia proponi debet intra decennium, aliter reiicitur.*
12 *Pretium in reſcißione l. 2. C. de reſcind. vendi. definiri debet a iudice.*
13 *Pretii læſio ſupra dimidiam iuſti pretii in reſcißione, l. 2. de reſcinden. vendi. C. quomodo computanda in læſione emtoris & venditoris.*
14 *Reſcißio læſionis vltra dimidiam iuſti pretii, pro quibus non detur.*
15 *Reſcißioni l. 2. de reſcind. vendi. renuntiari poteſt expreſſe & tacite, & num. 16. Sed num cenſeatur renuntiaſſe per clauſulam generalem donauit pluris valorem, eod.*
17 *Non dari contra venditionem iudicialem.*
18 *Item re interemta.*
19 *Reſcißionis l. 2. de reſcin. vend. C. rationem.*
20 *Et finis.*
21 *Reſcißionem l. 2. num impediat iuramentum de contractu ſeruando.*

1 SI venditor circumueniatur † in pretio, vltra dimidiam partem
iuſti pretii, conſtat quidem emtio, *nec ob vtilitatem pretii irri-*
*tari tradit lex Boioariorum, c. 20. tit. 19.* ſed ſubuenitur ei ex huma-
nitate, vt, vel pretium eo reſtituente emtori, rem recipiat aucto-
ritate iudicis intercedente: vel, ſi emtor elegerit, quod deeſt iuſto
2 pretio, recipiat, *l. 2. de reſcind. vend. C.* ¶ Minus † autem pretium
eſſe videtur, ſi nec dimidia pars veri pretii ſoluta ſit: ſic Diocletia-
nus & Maximin. reſcripſerunt, *d. l. 2.* Exſtat conſtitutio Græca Ro-
mani Cæſaris Orientis, qua cauetur, vt ſi quis ad iudicium prouo-
cauerit pro reſcindenda venditione, ei non reſtituatur res, ſi em-
tor iuſtum pretium ſuppleat ac perſoluat: & ſi nolit ſupplere, vt
recipiat rem venditor, ſed pecuniam reſtituat, vna cum eius cauſ-
ſis & vſuris, *lib. 1. iuris Orientalis, titu.* περὶ ἀναλύσεως τοῦ πεπραθέντος,
*de reſcin. vendit.* Hæc reſciſſio ſpecies alias quam vnius modi non
habet. Reſciſſionis huius materia eſt vilitas pretii, dum illud nõ
eſt media pars veri & iuſti pretii, *dicta l. 2. §. fin. ſic & inuit. l. 1. ſi ma*
*ior fact. alien. rat. habuer. lib. 5. C. tit. 74.* quod autem ſit iuſtum pre-
3 tium, paulo ante tradidimus. ¶ Licet † autem contrahentibus ſe
mutuo in pretio circumuenire, id eſt, præter vel citra verum pre-
tium, ſtatuere ex conſenſu rei æſtimationem, *l. in cauſſa §. Pompo-*
*nius, de minori. 25. annis, l. item pretio, §. fin. loca. P.* at minus dimidia
conſtituti æquum non eſt: & dicitur deceptio hac in re, ſeu pre-
tio, & dolus reipſa commiſſus: nam verus dolus emtoris qualita-
te facti, non quantitate pretii æſtimatur, *l. dolus emtoris 10. de re-*
*ſcin. vend. C.* & hic ex calliditate & inſidiis emtoris argui debet, *l. ſi*
4 *voluntate, 8. eo. tit. de reſcin. ven. C.* ¶ Perſonæ † quæ poſſunt vti hac
reſciſſione ſunt, emtor & venditor, & eorum heredes, *d. l. 2. de re-*
*ſcin. ven. C.* nam ſicuti venditor vtitur hoc remedio, ſi infra dimi-
diam veri pretii æſtimationem tantum acceperit: ſic & emtor, ſi
ſupra veram æſtimationem dimidiam partem addiderit pretio,
poteſt petere ad verum pretium reduci, & reſtitui quod plus de-
5 dit, vel reſcindi emtionem *glo. fin. & pen. in d. l. 2.* ¶ Qua † in quæ-
ſtione ſi in pretio circumuentus venditor ſit, in electione emto-
ris eſt, vel rem reſtituere, vel ſupplere pretium: & ſi emtor ſupra
dimidiam veri pretii ſoluerit, & agat, venditoris electio quod ſu-
pra verum eſt pretium reſtituere, vel ab emtione recedendum
eſt, *glo. iuncta l. 2. de reſcinden. ven. C. facit l. cum ſcripta, ſolut. ma-*
*trim. P. 1 §. ſi quis, de iure patron. P.* Porro ſecundum æqualitatem
veri & iuſti pretii, ſupplendum venditori, vel minuendum emtori
pretium eſt, vt ſumma captio euitetur, *vt in l. ſi vxori, de auro &*
*argen. leg. in P.* potiſſimum quia agitur de contractu bonæ fidei, in
quo, vt in ceteris id genus, iura etiam maioribus per officium iu-
dicis ſubueniri volunt, *l. in contractibus, 3. quib. ex cauſ. maior. in*
*P. l. maioribus, communia vtriuſ. iudic. C. Ioannes Andreas, in c. cum*
*dilecti, de emtio. glo. in l. ſi olei, C. de loc.* ¶ Igitur † non auctoritate 6
contrahentium liquido apparet poſſe cogi reluctantem, pretium
ſupplere vel reddere, aut emtionem reſcindere, ſed iudicis, *dicta l.*
*2. de reſcind. vend.* cum in cauſſa propria nemo ius ſibi in præiudi-
cium alterius ſtatuat impune, *l. 1. ne quis in ſua cauſ. iudic. C. l. 1. C. de*
*ſuffra. l. exſtat, quod met. cau. in P.* nec ſingulis concedendum eſt,
quod per magiſtratus expediri ſolet, *l. non eſt ſingulis, de regu. iur.*
*P.* ¶ Eius † autem notio in pluribus neceſſaria: videlicet num 7
intra tempus legitimum qui experitur, agat, qui ſe læſum emtio-
ne conqueritur, quod eſt triginta annorum, *glo. in d. l. 2. de reſcind.*
*ven. & glo. in l. in contractibus, quib. ex cau. maiores, C.* quia vi & ra-
tione actionis ex emto agitur, ad ſupplementum, vel ad æqualita-
tem iuſti pretii, vel ad emtionis reſolutionem, *l. ſed Celſus, §. ſi fun-*
*dus, de contrahen. emt.* in qua & prætor officium exercet, *l. metum*
*autem præſentem, §. ex hoc edicto, quod met. cauſ. P.* quare hæc actio
perſonalis, *l. 1. C. de action. emt.* ex aliarum perſonalium communi
natura triginta annorum curriculo concludetur, *l. ſicut, de præſcri.*
*30. vel 40. annorum, C. l. 2. de conſt. pecu. C.* Et in hac ego ſum ſen-
tentia, quando de iure ciuili diſputatur. Nec me latet tamen ali-
quos, ad quadriennium vſque tantummodo hanc reſciſſionis a-
ctionem retuliſſe, eo quod officio iudicis agenti ſuccurratur, *per*
*l. in contractibus, quibus ex cauſ. maior. C.* & officium iudicis non
poſſit lapſo quadriennio implorari, *l. ſuperuacuum, de tempor in*
*integr. reſtitut.* Quæ tamen ratio non plane probat, quando offi-
cium iudicis hæret alteri actioni, cuius vitam ipſum ſequitur, il-
ludque officium pro iudicis auctoritate accipitur, *de quo officio*
*quod hæret actioni, in l. officium, & fere toto titulo, de rei vindica. C. l.*
*2. de reſcind. vend. l. cum ii, de tranſact. P.* Quæ longe diſtat a ſimpli-
ci officio iudicis, quod ſine alia actione reſtituit negotium, veluti
iure quodam extraordinario, *vt in l. quod ſi mino. §. fin. de minor. 25.*
*annis, in P.* ¶ Minus † etiam me mouet, quod actio venditi, ſi non 8
aliud ab initio conuenit, non facile ad reſcindendam vẽditionem
perfectam, ſed ad pretium competat exigendum, vt reſcripſerũt
Diocletianus & Maximianus CC. *l. venditi, 6. de actio. emt. C.* Si-
quidem quod non facile detur, idcirco non ſequitur, aliquando
ex iuſta cauſſa non dari: nam & dari conſtat interdum ad ſubuer-
tẽdam emtionem ex pacto legis commiſſoriæ, vel legis addictio-
nis in diem, in contractu appoſito, *l. ſi fundus, de lege commiſſor. P.*
*1. & 2. de pact. inter emtor. C. l. cum te, eod. tit. l. ex emto, §. is qui de a-*
*ctio. emt. l. ſed Celſus, §. ſi fundus, de contrahen. emt. P.* Sed & præter
conuentionem aliquoties ea actione ad reſcindendum agitur, *d. l.*
*ex emto, §. ſi quis virginem.* Poſſunt & verba illa Cæſarum, *dicta l.*
*venditi,* ad pretium exigendum competere venditi actionem, ac-
commodari huic reſciſſioni deceptionis circa pretium, in qua &
de exactione pretii iuſti agitur alternatiue, reſciſſionis petitione,
*d. l. 2. de reſcin. ven. C. l. ſi voluntate, in ſi eo. ti. 1 §. ſed ſi rẽ, verſ. ſi forte,*
*ſi quid in frau. pat. P. li. 38. tit. 5.* ¶ Quorum † & gratia dignã cenſeo 9
obſeruatione Angeli Peruſini, *in l. 2. de reſcin. ven.* diſtinctionem,
dum ait ad reſciſſionẽ contractus, quandoq; agi ipſo iure ꝙ con-
tractus ab initio nullus fuerit: quo caſu petitur reſciſſio, quatenus
de facto fuit factus vt ſi dolus det cauſſam cõtractui bonæ fidei, &
traditio ex eo fuerit ſecuta: quamobrẽ agitur actione de dolo, *l. ſi*
*dolo, de reſcin. vend. c. quamquam glo. ibi repugnet.* Aliquando au-
tem ab initio contractus fuit aliquis, id eſt, potuit aliquando pro-
bari: ſed ex alia cauſſa eiuſdem reſciſſio petitur, ex contrahentium
diſpoſitione: quo caſu agitur ex eo contractu, *dicta l. ex empto, §. ſi*
*quis vina, & §. ſi quis virginem, de actio emt. & d. l. ſed Celſus, §. ſi*
*fundus, de contrahen. emt. P.* ¶ Interdum † petitur eadem reſciſſio
propter diſpoſitionem contrahentium, vel fauore perſonæ: & 10
tunc iure ſingulari agitur, vt ſi minor eccleſia, & ſimiles petãt re-
ſciſſionem: quibus ſuccurritur per reſtitutionem in integrum, *l.*
*1. & 2. ſi aduer. vendit. C. l. 1. ſi aduerſus tranſact. C.* Multoties etiam
petitur reſciſſio, non iure ſingulari, ſed communi. Quo caſu quæ-
rendum, an prodita ſit eius rei gratia ſpecialis, & propria actio a
iure, qua exprimendum eſt, eiuſmodi quod metus cauſſa, *l. 2. qui.*
*met. cauſ. l. 1. C. de reſcind. vend. C.* Quod ſi nulla ſit propria, tunc a-
gendum eſt actione contractus eius, qui reſcindi poſtulatur, vt in
noſtra reſciſſione, quæ proponitur pro iniuſto pretio ad æquali-
tatem reducendo, vel pro reſoluenda emtione, *dicta l. 2. de re-*
*ſcinden. vend. C. & dicto §. ſi quis virginem.* ¶ Ceterum † iure no-



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ſtro Gallico, nemo poteſt vti reſciſſoria actione prætextu læſio-
nis, doli, fraudiſve, vel alio modo poſt decennium, quo vita eius a-
ctionis concluditur. Niſi forte quis reipub. cauſſa abſit, computa-
ta præſcriptione a die contractus, ex conſtitutione Ludouici 12.
eius nominis regis, lata anno 1512. articulo 46. quæ inuiolabile ius
12 facit. ¶ Hæc † itaque digna ſunt primum notione, & diſcuſſione
iudicis. Sed deinceps iudicis auctoritas neceſſaria erit, in definien-
da pretii iuſti petiti quantitate, & in iudicandis probationibus,
quanti vere, vel vero proxime res fuerit tempore venditionis, *l. 1.*
*ſi ma. fac. alien. ra. habue. C. l. ſi voluntate, in fine, C. de reſcind. vend.*
Æſtimationem porro faciet, iuxta ea quæ de iuſto pretio diximus,
habita ratione temporis & locorum: nam ea augent, vel minuunt
pretia rerum, *l. ſpadonem, §. qui abſolutus, de excuſa. tut. P. l. pretia re-*
*rum, ad l. Falc. P.* Sunt & rebus interdum definita ſingulis pagis,
& diebus pretia, publica auctoritate, & actis publicis, quæ agaro-
nomi, ſiue ædiles, aut conſules conficiunt, ex quibus quanti res
tunc fuerit, poteſt facile ꝑbari, quanti tūc vendi res potuiſſet. Et ſi
res definitum nō habuerit pretium, poterit idem iudex rem ſub-
iicere propriis oculis & ita æſtimare, *l. fina. de iure domi. impet. C.*
vel per ſe, vel adhibitis peritis æſtimatoribus, *l. hac edictali, §. is illo,*
*& § quia vero in Leonis, & §. illud, de ſecund. nupt. C.* Cum enim in-
tellectu percipitur æſtimatio, peritorum in arte creditur iudicio,
*l. comparationes, C. de fide inſtrumen. l. 1. & l. fi. de ventre inſpicien. P.*
*l. ſemel, de re milita. lib. 12. C.* videlicet quando ſecundum præſens
tempus facienda æſtimatio, quę tamen in hac reſciſſione referen-
da eſt ad tempus emtionis, vt monui: probi tamen æſtimatores ex
præſentibus temporibus, facile argumentabuntur quanti tunc eſ-
ſe potuerit, ſubductis eorum, quæ præterierunt, rationibus. ¶ Lex
13 † modum huic iudicio hunc ponit, vt deceptio debeat eſſe vltra
dimidiam iuſti pretii, cuius definitione iudex contentus eſſe de-
bet, *glo. in l. ſi non fuerit. pro ſocio. P.* ideo ſi vno numo tantum ſupra
mediam iuſti pretii partē læſio ſit, reſcindi debet emtio, vel æqua-
litas pretio ſtatui: nec licet iudici pretium ſtatuere ſupra verum
pretium, & ita reformare pretium ad eam quantitatem, quæ non
excedit dimidiam veri pretii partem: quanquam contrahentibus,
dum contraherent, licuerit, ſe in pretio circumuenire, dummodo
ſupra dimidiam iuſti pretii non ſe lędant. Exemplum cape in ven-
ditore læſo. Res vendita valebat vere viginti aureos, vendita fuit
nouem tantum aureis: ecce deceptionem vltra dimidiam iuſti
pretii: nam media pars eſt 10. aureorum, vltra quam adhuc vnus
aureus, & deceptio eſt vndecim aureorum. Potuit emtor ſine me-
tu reſciſſionis lædere, in dimidia parte pretii, & emere tantum
decem aureis, vel duodecim vel quindecim, nec ob id reſcindere-
tur venditio, neque ob id ad ſupplendum verum 20. aureorum
pretium agi poſſet: quia non eſt deceptio vltra dimidiam partem
iuſti pretii, ſed intra dimidiam. At ſi vltra dimidiam deceptio eſt,
agitur a vēditore, vel, vt emtor totum pretium 20. aureorum ſup-
pleat, vel reſcindatur venditio: nec liberatur emtor tunc adden-
do ſupra mediam partem, veluti dando duos aureos, vel tres, vel
quinque: ſed aut viginti aureos cōplere debet, aut ab emtione o-
mnino abire, *Cynus, in l. 2. q. 8. de reſcin. ven. C. facit & l. ſi volunta-*
*te, de reſcin. vend. C. l. ſi res, §. mulier, de iure dot. in P.* Ratio mea hæc
eſſe videtur, quia non poteſt addi vel minui pretio emtionis, quin
non mutetur ipſa emtio: cum ſubſtantialis eius pars ſit pretium, vt
me docuit Papinianus, *l. pacta conuenta, 72 de contrah. emt. in P.* Et
proinde, quamuis liceat in cōtrahenda emtione circa verum pre-
tium ſe circumuenire: tamē vbi ſupra dimidiam pretii partem læ-
ſio in emtione interuenit, & dum agitur de ſupplemento, vel re-
ſciſſione eius, non potuit addi ab emtore aliquid ad pretium ſup-
plendum vt dimidiam ſuppleat: nam hoc eſſet nouam conſti-
tuere emtionem, cum tamen de prima quæſtio ſit reparanda in-
tegre, vel de reſcindenda. Quia etiam in toto ab initio deceptus,
*ita tradit Odofredus in l. 2. de reſci. ven. C. in fine, ibidem & Paul. Ca-*
*ſtrenſ nu. 2. & Bal. facit in argumentum, l. quid tamen; ſi quis cautio.*
*in P. l. 3. §. 1. in fine, de minor. P.* Hæc eadem in emtore decepto con-
cedenda ſunt, dummodo exemplum in quo variant interpretes,
compoſuerimus deceptionis. Res vendita vera æſtimatione, decē
aureorum erat: emi eam ſexdecim aureis: dico me deceptum ſu-
pra dimidiam iuſti pretii: nam media pars quinq; erant: decipior
itaq; vno plus dimidia, videlicet ſex aureis. Quod eſt exemplum
gloſſæ, quod ſequuntur Azo & Odofredus, *glo. & Odofr. in d. l. 2.*
*de reſcin. ven. C.* improbato exemplo Cyni, *in d. l. 2.* qui ratus eſt
in valore rei decem aureorum deceptionem emtoris eſſe, ſi emat
21. aureis, quod tamen aperte docet deceptione ſupra mediam
partem iuſti pretii, quę eſt quinq; aureorum, ſed ſupra totam æſti-
mationem, vt eſſet æſtimatio potius ſupra duplam, quam partem
mediam. Igitur & emtore decepto in re valente 10. aureos, quie-
merit 16. vel amplius, ſecundum gloſſam, Azonem & Odofre. vel
reſtituetur pretium a venditore, vſq; ad verum 10. aureorum, vel
omni pretio reſtituto, reſcindetur emtio. Siquidem in contracti-
bus ſeruanda eſt æqualitas, *l. ſi ſocius pro filia, pro ſoc. P. arg. l. fina. de*
*conſtit. Prin. C.* & quod vni contrahentium licet, alteri quoq; lice-
re debet, *l. 1. de cupreſ. lib. 12. C.* Sed mihi probatur verior compu-
tatio Cyni, & aliam reiicio. ¶ Tertio † iudicis partes hic ſunt, num 14
negotium reſciſſioni obnoxium ſit. Quippe quod nō ſemper de-
fectus pretii, vel exceſſus ſupra dimidiā iuſtæ æſtimationis reſciſ-
ſionem permittit: veluti primum, ſi caſus dubius ſit, *l. habitatio-*
*nem, de peric. & commo. rei ven. P.* Secundo ſi agatur de tranſactio-
ne, quæ non poteſt prætextu læſionis ſupra veram æſtimationem
dimidiæ partis iuſti pretii, retractari, *Bal. in rub. de tranſact. apud*
*Greg. nu. 7. Iaſ. in l. fratris, C. eod. Paner. in c. 1. eod. tit. ap. Greg. Alex.*
*Imo. in tom. 1. conſ. 42. Innoc. Ioa. Andr. Petr. de Anchar. in c. peruenit,*
*de emt. Speculator, in titu. de emt. §. nunc dicendum eſt, verſ. quod de*
*tranſact.* Tertio in æſtimatione rei datæ in dotem, hoc remedium
reſciſſionis ceſſat ſi tempore reſtitutionis faciendæ non exſtat, ſed
ſtatur æſtimationi factæ, *l. ſi circumſcripta, C. ſolut. matrim.* Quarto
qui prudens ſcienſq; valorem rei eſſe ſupra dimidiam pretii quod
accepit, eiurauit hoc remedium expreſſe, vel tacite: cum ſuo pri-
uilegio ſponte & libere cedere cuiq; liceat, *l. ſi quis in conſcrib. det.*
*de epiſcop. & cler. C. l. pen. C. de pact. cum ſimil.* ¶ Expreſſe † poteſt 15
quis ſcienter, rem quam nouit maioris pretii, viliori vendere, &
reliquum pretium expreſſe donare, *l. ſi quis donationis, 38. de contr.*
*emt. in P.* vel ſi nominatim dicat, ſe cedere beneficio, *l. 1. de reſcin-*
*den. vendit. C.* nam remittendi non datur regreſſus, *l. quæritur, § ſi*
*venditor, de ædil. edict. in P. l. ſi quis, de iureiuran. C. l. qui res, §. aream,*
*de ſol. P.* Niſi tam ruſticus eſſet venditor, vel mulier improuida,
qui neſcirent quid, qualeve eſſet illud beneficium vel remedium,
vt potius facilitate, quam conſulto & ex liberalitate remittere vi-
deantur: & ita ruſticitas, vt in aliis, excuſat, *l. athleta, §. de ruſticis,*
*de excuſa. tutor. l. fin. C. de teſt.* Alioquin ſcienti, & volenti non vi-
detur inferri dolus, vel læſio, *l. cum donationis, C. de tranſact. l. ſi. de*
*actio. emt. P.* tum maxime, ſi is qui vendit, nominatim expreſſerit,
vel inſtrumento inſeruerit, ſe rem quam decem ſcit valere, qua-
tuor vel tribus, vel minori pretio vendere, & remittere remediū,
*l. 2. de reſcinden. vend.* donareq; quanti pluris vendi poteſt. Spe-
culator, *in titu. de emtio. §. nunc dicendum, verſi. quid ſi aliquis,* quo-
que tacite remiſſum hoc remedium ſcribit, ſi conſtet vendito-
rem ſcire valorem verum rei venditæ, & nihilominus minoris
vendidit, neque iuuandum hunc remedio poſtea. Et ſubſcribit
Baldus, *in l. 1. in fine, de act. emt. P. per l. donum, de contrahen. emt. P.*
*facit l. ſi quis cum aliter, de verbo. obli. P.* quia ſciens æquiparatur re-
mittenti, *dicta l. quæritur, §. ſi venditor, de ædilit. edict. P.* Atque ex-
cepta rudi ſimplicitate, & ruſticitate, nemo præſumitur velle ia-
ctare ſuum, *l. cum de indebito, de probat. P.* Partim autem tacite, &
partim expreſſe quis videtur remittere remedium, ſi ignorans ve-
ram æſtimationem rei ſuæ, ſpeciali nomine remiſerit omnē frau-
dem veri pretii, & deceptionem vltra dimidiam eius: cogitauit e-
nim fraudē in genere iuſti pretii, ſed non in ſpecie, *vt in l. ſub præ-*
*textu, in 2. de tranſactio. C. & Paul. Caſtrenſ in l. 2. de reſcind. vendi.*
Quo fit, vt heres a teſtatore damnatus, vendere alicui rem certo
pretio, *vt in l. etſi æquo pretio, 69. de lega. 1. l. ſi cui fundus, de lega. 2.*
non poſſit vti hoc remedio reſciſſionis, re vendita: quod teſtator
partim donare voluerit legato, partim vendere, & ita notat Bal-
dus, *in l. fideiuſſor, §. meminiſſe, de lega. 1. facit textus, l. Imperator, 72.*
*§ ſi centum, de lega. 2.*

¶ Sed † inutilis quæſtio non eſt. Num ex clauſula illa quæ fre- 16
quens in inſtrumentis, & fere ſemper adiicitur, ſi quid pluris va-
leat, donauit venditor, &c. cenſeatur remiſſum remedium, l. 2. de
reſcinden. venditio. Cui reſpondendum cenſeo cum diſtinctio-
ne Bartoli, an ſciuerit iuſtum valorem rei venditor, an vero igno-
rauerit, *Barth. in l. ſi quis cum aliter, de verborum obligat.* Nam
ſciens certo valorem, arcetur a reſciſſione. Quia ſcienti, vt dictum
antea, dolus non fit, *l. 1. de actio. emt. in P. cum ſimilib.* nec ſcien-
ti remedium datur, *l. ſi libertus, & l. Campanus, de oper. liber. P.*
Contra ſi ignorauerit: quia ſi ſciuiſſet, non contraxiſſet, *d. l. ſi quis*
*cum aliter,* neque captioſæ donationes ratæ ſunt, *l. cum Aquilia-*
*na, de tranſact.* & tunc donationis nomen ab hoc ignorante pro-
latum, de modica re intelligi debet, *l. hæc adiectio, de verborum ſi-*
*gnificat. P. l. ſi de meis, §. recepiſſe, de arbitr. in P. d. l. ſi libertus.* Potiſ-
ſimum cum clauſula prædicta non inducat veram donationem,
ex faci-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ex facilitate potius prolata, *Angelus in l. ſi tibi decem, de pact. in P.*
ob illam facultatem, qua licet intra dimidiam iuſti pretii contra-
hentibus meliorem ſuam conditionem facere, *l. ſi voluntate, de re-
ſcin. ven.* Si tamen adiiciatur eidem clauſulæ, venditorem donare,
quanti plurimi res eſt, ſiue magna, ſiue ſit exigua quantitas, pro-
rogatur intentio, & ad quantitatem ſupra dimidiam iuſti pretii ex-
ſiſtentem, & donatio ſit maioris partis præter pretium, *l. ſi dona-
tionis, de contrahen. emt.* præſertim quod in dubio quilibet præſu-
mitur ſcire vires ſui patrimonii, *l. quiſquis, C. de reſcind. vendit.* Et
res pro parte vendi poteſt, *d. l. ſi quis donationis, de contrah. emt. P. l.
ſponſus, §. area, de dona. inter vir. & vxor. P.* exceptis incorporali-
bus, quæ huiuſmodi ſectionem non admittunt, & in ſolidum aut
vendi, aut donari debent, *l. ab Anaſtaſio, C. manda. Odofredus in d.*
17 *l. 2. de reſcin. ven.* ¶ Quinto † non competit hoc remedium, l. 2. de
reſcind. vend. C. in venditione facta iudicis decreto, ſeruatis ſub-
haſtationis ſolemnitatibus, lege & edictis principum ſtatutis, *l. 1.
de prædiis decurio. lib. 10. C. tit. 33.* Nam ſi iudex abutatur facultate,
vel excedat eandem in aliquo, ſaluum prouocationis vẽditori ius
eſt, *l. ab exſecutore, quorum appella. non recipiant, l. ait Prætor, §. per-
mittitur, de minor. 25. an. P.* maxime ſi debitor cuius res veneunt,
contumax fuerit, qui abſens pro præſente habetur, *authen. qua in
prouincia, vbi de crimi. ag. oportet.* Subinde, cum creditor addictio-
ne dominii deceptus, vel venditione læſus, non poſſit conqueri,
*l. a diuo Pio, §. ſi pignora, de re iudic. P.* non erit etiam audiendus læ-
ſus eadem debitor, vt æqualitas debita vtrique contrahentiũ con-
ſeruetur, *l. in ſacris, de proximis ſacror. ſcrinior. lib. 12. C.* tum etiam
quod inter ſolemnia alienationis rerum debitoris, non adiicitur
mentio, vt iuſtum pretium adſit, *l. Fulcinius, §. cum hoc edictum, ex
quib. cauſ. in poſſeſſio. ea. P.* Firmant autem iſtæ ſolemnitates vendi-
tiones iudiciales, vt vix conuelli poſſint, *glo. in l. 3. §. fin. de adime. le.
P.* & intereſt reipublicę decreta iudicum nõ eſſe eluſoria, *l. ſi Præ-
tor, de iudic. P.* niſi ex iuſta cauſſa debitor eſſet abſens, vel minor,
*l. ignorare, de reſtitutio. mili. C. l. ſi finita, § ſi forte, de damno infect. P.*
Non imus tamen inficias, cauendum eſſe, ne ſub nomine ſubha-
ſtationis, fraus fiat priuatis debitoribus, reb. viliore pretio diſtra-
ctis, neve plus exactor ex gratia, quam debitor ex pretio conſe-
quatur: neve gratioſæ auctiones fiant, & totum pereat debitori:
nã certe efficax ea ratione erit, refuſo pretio, reſciſſio, *l. ſi quos de-
bitorum, 16. C. de reſcin. ven. l. fundus, qui Lucii Titii, l. 9. iuncta glo.
eo. tit. P.* Oportet enim bona fide emi, & auctiones & haſtas legiti-
me & ſine fraude decurrere: ne iniuriarũ occaſio oriatur, vnde iu-
ra naſci ſolent, *l. meminerint, C. vnde vi.* Neq; etiam æquũ eſt tueri
emtiones, in quibus per obreptionem iudici impoſitum eſt, *l. 1. §.
hæc verba, ne vis fiat ei, &c. P.* Ceterum niſi probationibus liquidis
impoſtura venditionis iudicialis oſtendatur, vix aut nunquam a
venditione iudiciali obſignata decreto, recedere licet: quia omnia
præſumuntur ſolemniter acta, *Speculator in titu. de emtione, §. nunc
videndum, in 1. verſ. nunc breuiter ſcias*, & pro veritate res iudicata
habebitur, *l. ingenuum, de ſtat. hom. l. res iudicata, de reg. iur.* Quam-
uis iuſtum pretium requiri in venditionibus iudicialibus admit-
tamus, *l. fi. de fide inſtr. & iure haſtæ, lib. 10. C. l. minori, de iure fiſc. eo.
lib. 10. C. l. 3. §. diui, eo. tit. in P.* tamen nihil prohibet verum & iuſtũ
pretiũ illud dici, ꝙ tot proſcriptionibus, tot diebus palã expoſitis,
conquiſitum eſt, & tantum inuentum. Si enim minoris, & ſupra
dimidiam iuſti pretii læſione interueniente venibilis fuiſſet, veri-
ſimile & certo certius ab aliquo pluris emta fuiſſet. Quare recte
iuſtum pretium erit, quod in eo loco maius non potuit inueniri,
*l. fi. C. de admin. tut. l. pretia rerum, ad leg. Falc. in P.* Quod ſi quis cõ-
queratur de fraude, de ſolemnitatibus omiſſis, illi proſpectum eſt,
vt liceat ea proponere, antequam decretalis fiat venditio: quod ſi
nõ fecerit, mora ſibi nocere debet *l. mora de reg. iur.* via enim poſt
decretum, ſeruatis omnib. ſolemnitatibus agendi, præcluditur ex
18 capite iniuſti pretii. ¶ Sexto † non habet locum remedium dictæ
l. 2. de reſcin. ven. C. ſi res vendita perierit ſine culpa poſſeſſoris, *gl.
in l. 2. & in eã Cyn. q. 10. de reſcin. ven.* quia hoc remediũ tantum cõ-
petit pro re repetenda, vel pretio ſupplendo, ſi elegerit emtor, *d.
l. 2. de reſcin. ven.* At re ante moram peremta, liberatur debitor ab
eius pręſtatione, *in l. quod te, ſi cer. pet. in P. l. ſi ex legati cauſſa, de ver.
obl. P.* nam æque erat peritura apud ipſum petentem ſi habuiſſet,
imo & modico pretio accepto, iuſtiſſimũ eſt peremta re eſſe con-
tentum, & lucro ſibi aſſignare: quoniam ſi reſtituta fuiſſet illi res,
reſtituiſſet pretium, & ita tunc & re & pretio priuaretur, *l. ſi res, §. ſi
mulier, de iure dot. in P.* Neq; in repetitionẽ veniunt, quæ a fortui-
tis contingunt caſib. *l. quæ fortuitis, de pig. act. C.* De hinc res tãtum
erat in petitione, ſupplemẽtum autem in electione emtoris con-
uenti, quare re peremta, recte pretium non petitur, *l. electio, §. ſi iis
de noxal. act. P.* Si tamen qui emit minori pretio, iuſto pretio ean-
dem rem alii vendiderit, æquum eſt vt prior venditor cum primo
emtore poſſit agere: quamuis res apud eum nõ ſit, & deſierit poſ-
ſidere, vel quamuis perierit. Quod, qui pretium habet, rem habe-
re videatur, *l. qui pretio, de vſufruct. in P.* vt & qui dolo deſiit poſſi-
dere, perinde eſt ac ſi poſſideret: quia per eum factum, quominus
poſſideat, *l. ſi hominem, de rei vind. P. l. ſeruum, §. ideo, de verb. obl. P.*
¶ Actionis † reſciſſoriæ huius Cæſares Diocle. & Maximia. funda- 19
mentum in humanitate cõſtituiſſe videntur, dum aiũt, *d. l. 2. de re-
ſcin. ven. C. Humanum, vel pretium te reſtituente emtoribus fundum
venundatum recipiat, &c.* Scilicet, quod labi, errare, & falli in ne-
gotiorum tractatione humanum ſit: & proinde expedire deceptis
communi fragilitate, ſubueniri, *l. 2. de actio. emt. C. l. 1. ibi inconſulto
errore, &c. ſi maior fact. alie. rat. habue. li. 5. C. ti. 74.* Facile decipiun-
tur in rerum ſuarum æſtimatione venditores, qui nõ emerunt, ſed
aliunde gratis vel ſucceſſione acceperunt: & habent iuſtam igno-
randi cauſſam, *l. qui in alterius, de reg. iu.* qui alibi quam vbi degũt
bona ſita habent, *l. in fraudem, qui & a quib. &c. P.* qui labore &
ſudore acquirunt, res pluris æſtimant, quam qui relictis potiun-
tur. Eſt & vitium commune, vt amplius, quam in his ſit, de faculta-
tib. ſuis ſperent homines, *§ præualuiſſe, quib. man. non lic. l. qui non-
dum, de hered. vel act. ven. in C. l. milites, §. a barbaris, de re milit. in P.*
quo fit, vt qui ſibi hoc modo plaudunt, vilius ſæpe vendant, dum
plura ſibi ſupereſſe arbitrantur. Sunt & aliqui, qui dũ modico prę-
ſenti indigẽt, rerum valorem verum, vt id conſequantur, nõ con-
ſiderent, quod & remedio dignum eſt, *l. cum ii, de tranſact. in P.* vi-
delicet ſi læſio excedat dimidiã veri pretii partem: alioquin enim,
non ſufficit ad reſcindẽdam actionem, obiicere quod vrgente de-
bito, viliore pretio quis coactus fuerit, vel negotiis dictantibus fa-
miliaribus, vendere, *l. non idcirco, 12. de reſcin. ven. C. l. cum te, de pig.
C.* Quia enim ſibi neceſſitatem impoſuit, reſtitui nõ debet, *l. ſi mu-
lier, quod met. cau. P. l. ſi fideiuſſor, §. pen. qui ſatiſ. cog. in P. l. 3. §. ſubue-
nitur. ad Senatuſ. Syllania.* ¶ Finis † propter quem huic remedio lo-
cus, eſt æqualitas ad quam reducitur pretium, in emtione proba,
*l. 1. de contrah. emt.* iuſtis rationibus, ne quiſquam cum alterius ia- 20
ctura locupletetur, *l. nam hoc natura, de condict. indeb. l. iure naturæ,
de reg. iu. P. c. locupletari, eo. in Sex.* nec tamen modica inæqualitas,
quæ mediam partem iuſti pretii rationem non excedat, conſide-
rabitur propter vtilitatem & frequentem vſum cõtractus emtio-
nis, in quo propter minimam cauſſam, bona fide res vendita, in-
emta fieri non debet, *l. res bona fide, 54. de contrah. emt. P. l. ſcio, de in
integ. reſtit. P.* Remanet † tamen adhuc tollendus ſcrupulus, num 21
ſi contrahentes emtionem, iurent ſe non receſſuros a contractu,
& illum inuiolate ſeruaturos, locus ſit huic remedio, ob læſionem
ſupra dimidiam iuſti pretii partem. In quo Odofredus, *in d. l. 2. de
reſcin. ven. C.* tradit iuramento excludi remedium, nec iurantem
exſpectare debere principem, vel legem ſibi fore auctorem per-
iurii, *per l. 1. & 2. ſi aduer. ven. C. l. 2. de indict. viduit. toll. C.* quem ali-
qui ſequuntur, *Pau. Caſt. in l. 2. in 7. concluſ. nu. 15. & 20. de reſcind.
vend. Archid. & Ioan. And. in c. 2. de pact. in Sex. gl. in d. l. 2. de reſcin.
ven. & ibi Bar. nu. 9. & 10. niſi inquiunt, dolus vel metus adſint.* Con-
traria tamen mihi verior videtur ſentẽtia, nec ad ſupplemẽti iuſti
pretii petitionem iuramentum pertinere, nec ex generali clauſula
iuramenti firmari quod legibus improbatur, *l. non dubiũ, C. de le-
gib. l. iuriſgentium, §. generaliter, de pact. P.* Et cum iuramentum hoc
ſit contractus confirmatio, non poteſt cõfirmatio impedire quo-
minus agatur ad ſupplementum, *l. 1. ſi maior fact. alie. ſine decre. fac.
ratam habue. C.* quia & remanet contractus. Eadem enim leuita-
te, qua circumuenti vltra dimidiam partem pretii inducti ſunt ad
contrahendum, & iurarunt, & remiſerunt generaliter facultatem
remedii huius: parque ius introduci debet, *l. doli, §. diuerſum, de
noua. P. Iaco. Butrigarius in auth. ſacramenta puberum, ſi aduer. ven.
C.* Cum neq; ad incognita trahi poſſit conuentio, *l. tres fratres, de
pact. P. l. tutela, de in integ. reſtit. mino. C. l. fi. de non nume. pecunia, C. l.
fi. qui ſatiſda. cog. P. l. fi. ad municip. l. mater, de inoffi. teſt. in P.* nec cẽ-
ſetur periurus qui ex cauſſa legitima a iuramẽto recedit, *d. l. fi. qui
ſatiſd. cog. P.* niſi nominatim contrahentes fuerint certiores facti
de vi remedii huius reſciſſionis, & poſtea iurauerint, vt diximus
paulo ante, alioquin generalis clauſula remiſſionis ſupplementi
petendi, de modico intelligitur, *l. hac adiectio, de verb. ſig. l. cũ furti,
de in litem iura. P.* Suadeo tamen, vt tutius alea iudicii procedat,
poſtulari ab epiſcopo gratiam iuramenti, antequam qui iurauit
agat: quod & melius eſſe ait Cynus, *in d. l. 2. q. 14. de reſcind. vend. C.
propter cap. cum contingat, de iureiur.*